

QUAESTIONES PARTHICAE.


SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE


SCRIPSIT

H. TEN CATE FENNEMA.



NEOMAGI,
APUD H. C. A. THIEME.
MDCCCLXXXII.


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS



QUAESTIONES PARTHICAE.

QUAESTIONES PARTHICAE.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

M. J. DE GOEJE,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET IN FACULTATE LITT. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS

ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

HENRICUS TEN CATE FENNEMA

NEOMAGENSIS.

A. D. III Id. FEBR. A. MDCCCLXXXII, HORA II—III.

NEOMAGI,
APUD H. C. A. THIEME.
MDCCCLXXXII.

MATRI OPTIMAE CARISSIMAE

ET

CARISSIMI PATRIS MANIBUS

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Praefationis loco paucis rationes reddere lubet, qui factum sit, ut studiorum meorum specimen quoddam editurus tandem delatus sim ad hoc de Parthicis rebus argumentum. Post alia nonnulla, quae primum frustra tentaveram, quaeque commemorare non huius loci est, studia mea contuli ad Plutarchi vitam Antonii, idque ad eam potissimum partem, in qua agitur de Antonii rebus in Oriente gestis. Sic prima mihi contracta est cum Parthica gente familiaritas, non hercle amore rerum vel amoenitatis vel suavitatis — etenim quis erit cui gratum videatur et pulchrum iter per solitudinem plenam tenebrarum?— sed hac una de causa, quod operis mei propositum postulare arbitrabar, ut ne plane essem hospes in historia gentis, quae aetate Antonii primas partes in Oriente agebat. Haec cogitatio stimulum mihi addidit ad Parthicum iter ingrediendum. Vixdum autem a regni primordiis profectum tantum me cepit odium negotii suscepti, ut vel sola recordatio taedium mihi pariat, adeo nihil videbam, quod oculos teneret, nihil quod animum delectaret, sed memor operae necessitatis itinere saepius intermisso progrediebar, donec tandem post multum laboris taediique perveni ad regnum Orodis, Arsacidarum decimi quarti. Ab hoc inde tempore omnia laetiora mihi obveniebant, et iam firmiore gradu atque animo alacriore viam persequebar. Cursum enim dirigere licebat in regiones nobiliores magisque frequentatas, per quas viam mihi monstrabant duces haud paullo peritiores quam qui ante labanti mihi adfuerant. Praeter

—

Dionem Cassium, Iustinum, Flavium Iosephum, Strabonem, habebam Plutarchum in vitis Luculli, Crassi, Antonii copiose res Parthicas enarrantem, habebam Ciceronem, cuius in Cilicia scriptae epistolae, plenae istae Parthici timoris, gratam disserendi materiam mihi praebebant, habebam denique Livii periochas, Florum, Orosium, ceteros auctores, e quibus Liviani libri deperditi aliquatenus suppleri possunt. Praeterea versabar in eo tempore, quod Parthorum res videbat florentissimas quodque prae ceteris erat notabile vario et frequenti cum Romanis usu et commercio, ut magis mihi historiam Romanam quam res Parthicas tractare viderer. Quum igitur in auctorum testimoniis diligenter colligendis multum laboris et temporis collocassem, tantopere mihi arrisit novi argumenti suavitas, ut quod primum ἐν παρέργου μέρει agere instituderam, id ἔργον mihi evaserit.

Hoc scilicet animo propositum habebam, ut omnibus testimoniis diligenter conquisitis, dispositis, perpensis et auctorum fide, auctoritate, fontibus quam maxime potui diiudicatis, exponerem et illustrarem quidquid Parthi rerum cum Romanis habuerint, quo tempore Orodes et Phraates IV sederunt in solio Arsacidarum Sed ausis me excidisse cum magno meo dolore profiteor. Quapropter vela contrahere coactus id tantum reliquum habebam, ut ex magna quam congesseram copia adnotationum seligerem et in unum corpus redigerem, quae aptissima mihi videbantur.

Sic natus est noster libellus, cui quam multa manca et debilia insint, ipse omnium optime scio. Utinam ne tantillum hoc opusculum prorsus indignum iudicetur Praeceptorum Clarissimorum institutione, qua in hac Academia pergrato animo frui mihi concessum fuit, cuiusque suavissimam memoriam nulla dies ex animo meo delebit!

SUMMARIUM.

		Pag.
CAPUT I.	DE FONTIBUS HISTORIAE PARTHICAE	1
CAPUT II.	DE FIDE ET AUCTORITATE IUSTINI IN REBUS PARTHICIS ENARRANDIS	20
CAPUT III.	DE C. CASSII ET M. TULLII CICERONIS REBUS CONTRA PARTHOS GESTIS	70
APPENDIX AD PAG. 85		108
THESES		113

CAPUT PRIMUM.

DE FONTIBUS HISTORIAE PARTHICAE.

Arsacidarum regnum, si ad historiae cognitionem spectatur, non immerito regnum tenebrarum dixeris; adeo ea vastis lacunis impedita, adeo densis nebulis obducta est. Vix necesse mihi videtur, ut dicam, aliquando fuisse tempus, quo harum rerum notitia multis variisque auctorum operibus consignata melius et accuratius sese haberet, quod etiamsi non aliunde disertis verbis traderetur, iam sola postularet recordatio singularis et splendidi loci, quem in antiquorum populorum serie Parthi obtinebant. A parvis progressum initiis eorum imperium mox tanta ceperat incrementa, ut iam Mithridate I, sexto Arsacidarum, regnante post multa et fere continua bella tam contra Seleucidas quam contra Scythas, Bactrianos, alias finitimas gentes peracta, omnes propemodum complexum sit Achaemenidarum provincias ab Euphrate ad Indum usque et ultra. Hanc imperii magnitudinem postea quoque singulari usi fortuna et virtute integram servabant. Vel Romani tot gentium victores et domitores horrebant celeres Parthorum impe-

tus, et saepius cum iis congressi cum magno suo malo edocti sunt, non ubique neque adversus omnes arma sua valere. Quid mirum igitur, si huius potentissimae et bellicosissimae gentis historia multis et Graecorum et Romanorum dignissima visa sit, quae diligenter scripto mandaretur? Neque aditus ad eas res cognoscendas cum tanta erat coniunctus difficultate, quanta nobis forsan videatur. Magnus enim per illas regiones, quas inde ab Alexandro Magno per centum et plures annos Graecis subditas fuisse notum est, obtinebat usus Graecarum litterarum Graecique sermonis, ut iam satis inde apparet, quod Arsacidae nummos Graecis titulis inscriptos cudendos curarunt; passim per totum imperium, apprime in Mesopotamia, inveniebantur Graecae civitates potentes et opulentae, quae barbarorum dominationem indigne ferentes Graecum cultum, sermonem, religionem, instituta, mores fideliter sustentabant, et ad posteros propagabant. 1) In iis multos exstitisse viros, qui dominorum res gestas, indolem, naturam, ingenium memoriae tradiderint, quis erit qui in dubium vocet?

Quod ergo res ipsa fert et iam per se satis perspicuum est, id praeterea confirmatur a Dione Cassio, qui sua aetate complura de Parthicis rebus scripta circumferri testatus est. Dio Cass. XL, 15: περὶ μὲν οὖν τοῦ τε γένους καὶ τῆς χώρας τῆς τε ἰδιότητος τῶν ἐπιτηδευμάτων αὐτῶν πολλοῖς τε εἴρηται καὶ ἐγὼ οὐκ ἐν γνώμῃ ποιοῦμαι συγγράψαι. Haec opera omnia si aetatem tulissent, haud improbabiliter offenderemus nonnulla, quae parvi vel nullius essent pretii, quaeque redolerent futile illud et ineptum historicorum genus, quod merito a Luciano 2) acerba ironia notatum atque explosum est. Sed in universum

1) Prae omnibus Seleucia Graeco cultu et opibus florebat. Vide Tacit. Annal. VI, 42.

2) Lucian. πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν.

eorum iacturam magno opere dolendam censeo, ut nemo non mihi assentietur, qui, quoad eius fieri potest, deperditorum auctorum rationem inierit. Inter hos, quos fata nobis inviderunt, aegerrime desideramus duos auctores, Apollodorum Artemitenum et Isidorum Characenum, quorum testimonia, utpote ab illis viris tradita, qui in ipso Parthorum regno domicilium haberent, sine dubio insigni fide digna erant. Apollodori opus quale fuerit aut quantum temporis spatium complexum sit, a nullo accurate indicatur; haud mediocris eum fuisse auctoritatis iure inde colligas, quod Strabo 1) in rebus Parthicis exponendis eum potissimum ducem secutus esse videtur. Composuit Isidorus auctore Augusto periegesin geographicam, **Σταθμοὶ Παρθικοί** quae inscribitur, in usum Romani exercitus, quo tempore Caius filius expeditionem in Orientem paravit. Huius operis etiamnunc supersunt quaedam excerpta 2) et nonnulla ab Athenaeo et Luciano servata fragmenta, e quibus apparet, non eum substitisse in commemorandis mansionibus, itineribus, oppidis, fluviis, sed saepius adiecisse, si quid loca ad artem, religionem, historiam haberent memorabile. Exstitit porro de Antonii Parthica expeditione liber concinnatus a Q. Dellio infami illo „*desultore bellorum civilium*", qui olim Dolabellae partes amplexus, hinc ad Cassium, post vero a Cassio ad Antonium, ab Antonio denique brevi ante Actiacam pugnam ad Octavianum transfugit 3). Cf. Strabo 523: ***ὥς φησιν ὁ Δέλλιος ὁ τοῦ Ἀντωνίου φίλος, συγγράψας τὴν ἐπὶ Παρθυαίους αὐτοῦ στρατείαν ἐν ᾗ παρῆν καὶ αὐτὸς ἡγεμονίαν ἔχων.*** Ex hoc scripto fluxisse Plutarchi de bello Parthico narrationem 4)

1) Strabo, 118, 509, 514, 516.
2) Carolus Müller, Geographi Minores I, pag. 244. sqq.
3) Cf. Vell. Paterc. II. 84. Seneca, Suas. I. 8.
4) Vita Antonii, 37—52.

pro explorato affirmavit Heeren in nobili opere de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum 1).

Nequaquam diffiteor vel primo adspectu hanc coniecturam vehementer mihi arrisisse. Satis enim constat Dellii historicum opus cognitum fuisse Plutarcho, quippe qui in eadem vita 2) *ἱστορικοῦ* nomine addito mentionem eius faciat. Praeterea et hoc vere statui potest Plutarchum in rebus enarrandis confugisse ad auctoritatem viri, qui Antonio familiaritate esset coniunctus. Etenim quis non inter legendum mirabitur, Antonii personam, quae in ceteris vitae partibus in summam adducatur invidiam, ubi primum auctor ad res Parthicas accesserit, studiose nobis commendari, adeo, ut qui modo helluo perditissimus et extrema levitate notatus ob oculos nobis versabatur, nunc repente prodeat in scenam tamquam exemplum virtutis et constantiae. Vitia eius excusantur vel dissimulantur, laudibus tollitur eius simplicitas, liberalitas, comitas, animus in laboribus fortis et strenuus; memoratur militum favor atque gratia vel ad priscos mores incredibilis 3). Denique et hoc veri simile est, auctorem, quem Plutarchus ducem sibi elegerit, fuisse aut testem oculatum aut saltem ex testibus oculatis sua petiisse.

---

1) Vide pag. 182 operis laudati: „*Hunc Dellii commentarium Plutarchum in Antonii expeditione Parthica non modo ante oculos habuisse, sed unice quoque secutum esse dubitari nequit; ita ut, quae capitibus supra memoratis legimus pro epitome eius habenda sint, in nonnullis vero, copiosius enarratis, ipsa fere verba retinuisse videatur; in quo quis non Plutarchi iudicium probabit?*" Profecto parum cognitum habet Plutarchi iudicium et historiam conscribendi rationem, quicunque eum per tota capita exemplum ad verbum descripsisse iudicat. Non erat eius ingeninm tam mediocre et imbecillum, ut ad res enarrandas alienae orationis indigeret; suis verbis reddidit quae in fontibus suis legerat. Quod cum in universum verum sit, tum imprimis, opinor, valet in hac, de qua agitur, operis parte, qua propriis illis et suis dotibus, orationis ubertate et suavitate, rerum gestarum expositione clara et vivida, ipse se superasse videtur.

2) Cf. Plut. Ant. 59: *πολλοὺς δὲ καὶ τῶν ἄλλων φίλων οἱ Κλεοπάτρας κόλακες ἐξέβαλον ...... ὧν καὶ Μάρκος ἦν Σιλανὸς καὶ Δέλλιος ὁ ἱστορικός.*

3) Confer imprimis capita 43 et 44.

Mira enim per totam narrationem pellucet et rerum et locorum cognitio, adeoque omnia vividis coloribus depicta sunt, ut lectoris animus armorum strepitum audire et infinitos Romanorum labores aerumnasque praesens cernere sibi videatur.

Quae cum apte conveniant in Q. Dellium, quem Antonio amicum et belli Parthici participem fuisse Strabonis testimonium docet, neque absurda neque temeraria videtur suspicio, Dellii vestigia in Plutarchi opere latere. Num vero extra omnem controversiam posita sit, id quidem nisi aut ex Dellii fragmentis aut ex ipso Plutarcho certius aliquid appareat, in dubium est vocandum. Idem sensit Hermann Peter. 1) Itaque haud alienum a proposito existimavi totam quaestionem retractare, si forte novam lucem ei accendere possem.

Felici casu accidit, ut Strabo, quo loco Dellii mentio iniecta est, simul etiam ex opere eius citaverit testimonium quantivis pretii, quod miror neque ab Heereno neque a Petero in usum conversum esse. Agitur in eo de locorum intervallo inter Araxem flumen et caput Medorum, quod ab Antonio oppugnatum est. Strabo 523: ***Βασίλειον δ' αὐτῶν θερινὸν μὲν ἐν πεδίῳ ἱδρυμένον Γάζακα, χειμερινὸν δὲ ἐν φρουρίῳ ἐρυμνῷ Οὐέρα,*** 2) ***ὅπερ Ἀντώνιος ἐπολιόρκησε κατὰ τὴν ἐπὶ Παρθυαίους στρατείαν. διέχει δὲ τοῦτο τοῦ Ἀράξου ποταμοῦ τοῦ ὁρίζοντος τήν τε Ἀρμενίαν καὶ τὴν Ἀτροπατηνὴν σταδίους δισχιλίους καὶ τετρακοσίους, ὥς φησιν ὁ Δέλλιος ὁ τοῦ Ἀντωνίου φίλος, συγγράψας τὴν ἐπὶ Παρθυαίους αὐτοῦ στρατείαν ἐν ᾗ παρῆν καὶ αὐτὸς ἡγεμονίαν ἔχων.*** Eadem haec intervalli significatio, quae apud Plutarchum desideratur, fideli concordia exstat apud Livium. Epitome CXXX: »*viginti et uno diebus trecenta milia fuga emensus.*" Iam is consensus viam

1) Die Quellen Plutarchs in den Biographieen der Römer. pag. 145.

2) Mirum quantum in hoc nomine fluctuant diversi auctores. Dio XLIX, 25: *τὰ Πράασπα*; Pseudo-App.: *Φράατα*; Plut.: *Φραάρτα* vel *Φραόρτα*.

nobis monstrat, qua res ad liquidum perducatur. Nam quis non intelligit quantum Heereni coniecturae per se iam haud improbabili accedat fidei et auctoritatis, si Livium et Plutarchum ex communi fonte narrationem suam hausisse solidis argumentis probari potest? Id ipsum autem tam gravibus indiciis constat, ut nihil sit certius vel evidentius. Quod ut demonstrem in auxilium vocabo Livii epitomatores Florum, Orosium, Eutropium, Sextum Rufum, et hisce subsidiis epitome Livii suppleta amborum scriptorum comparationem instituam.

Quod ad Dionem attinet, quamquam incredibile puto, prorsus eum de manibus posuisse scriptorem, cuius auctoritati plurimum in historia huius temporis conscribenda tribuerit 1), maiorem ostendit discrepantiam, quam ut ad Liviana supplenda in partes vocari possit. Pauca illa fragmenta, quae brevissima Livii periocha exhibet, magnam partem frustra in copiosa Dionis relatione quaeruntur, quin etiam est ubi Dio aperte contradicat. Idem a Plutarcho haud uno loco magnopere differt, quod ut appareat sufficiat componere Dionem XLIX 25, 28, 29, 31 cum Plutarchi capitibus 38, 39, 41, 43, 44, 51.

LIVII EPITOMATORES.	PLUTARCHUS.
Epitome CXXX.: M. Antonius dum cum Cleopatra luxuriaretur, tarde *Mediam ingressus bellum cum legionibus decem et octo et sexdecim milibus equitum Parthis intulit.*	Similiter Plut. 36, 37. tradit, Cleopatram fuisse cum Antonio in Syria bellum parante, neque ante domum revertisse, quam Romanus exercitus iter esset ingressus. Praeterea conspirant Livius et Plutarchus in eo, quod *tarde* exercitus in Mediam pervenisse dicitur. Plut. 35.: *Πρῶτον μὲν οὖν αὐτοῦ δέον ἐν Ἀρμενίᾳ διαχειμάσαι..... καὶ πρὶν ἢ κινεῖν ἐκ τῶν χειμαδίων Πάρθους ἔαρος ἀρχῇ Μηδίαν καταλαβεῖν, οὐκ ἠνέσχετο τὸν χρόνον κτλ.* De militum numero nonnihil cum Livio discrepat.

---

1) Sic recte opinor Wilmans (de Dionis Cassii fontibus et auctoritate, pag. 18) testudinis descriptionem (Dio XLIX, 29, 30.), quae apud Florum quoque legitur, ad Livium rettulit.

Plut. 37.: Ἦσαν δὲ Ῥωμαίων μὲν αὐτῶν ἑξακισμύριοι πεζοὶ καὶ τὸ Ῥωμαίοις συντεταγμένον ἱππικόν, Ἰβήρων καὶ Κελτῶν μύριοι, τῶν δὲ ἄλλων ἐθνῶν ἐγένοντο τρεῖς μυριάδες σὺν ἱππεῦσιν ὁμοῦ καὶ ψιλοῖς.

Dio tacet.

Epitome CXXX.: *Et cum* d u a b u s l e g i o n i b u s a m i s s i s *nulla re prospere cedente retro rediret insecutis subinde Parthis, et ingenti trepidatione et magno totius exercitus periculo in Armeniam reversus est.*

Sextus Rufus XVIII.: *M. Antonius ... bellum Parthis intulit, et primis eos proeliis vicit. Verum post* d u o b u s l e g i o n i b u s a m i s s i s sqq.

Haec omnia, ut consentaneum est, a Plutarcho per multa capita (38—49) copiose exponuntur. Quod ad duas illas legiones amissas, id spectare ad cladem Statiani legati, iure efficias ex Velleio II, 82: *Primoque duas legiones cum omnibus impedimentis tormentisque et Statiano legato amisit.* Plut. 38.: ὁ Στατιανὸς ἀποθνήσκει μὲν αὐτός, ἀποθνήσκουσι δὲ μ ύ ρ ι ο ι τῶν μετ' αὐτοῦ. Τὰς δὲ μηχανὰς ἑλόντες οἱ βάρβαροι διέφθειραν. Εἷλον δὲ παμπόλλους, ἐν οἷς καὶ Πολέμων ἦν ὁ βασιλεύς.

De clade Statiani Dio cum Plutarcho conspirat, nisi quod omnes milites praeter unum Polemonem interfectos esse affirmat. Dio XLIX. 25.

Florus IV, 10: *Nihil acciderat in comparationem cladis, quae in posterum diem imminebat, nisi intervenisset deum miseratio. Unus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat et salute Latine dicta, cum fidem ipso sermone fecisset, quid immineret edocuit: iam adfuturum cum omnibus copiis regem; irent retro peterentque montes: sic quoque hostem fortasse non defore. Atque ita secuta est minor vis hostium quam imminebat.*

Idem legitur apud Plutarchum 41, qui tamen in eo dissentit, quod non militem Romanum, sed Mardum quemdam sese Antonio itineris ducem obtulisse refert.

Dio tacet.

Florus IV. 10: *Deletae reliquae copiae forent, nisi urguentibus telis in*

Congruenter, sed multo uberius testudo describitur a Plutarcho 45, et a Dione XLIX. 29, 30.

Deinde et Plutarchus testatur Romanorum con

modum grandinis quidam forte quasi docti procubuissent in genua milites et elatis supra capita scutis caesorum speciem praebuissent. Tunc Parthus arcus inhibuit. Dein rursus cum se Romani extulissent, adeo res miraculo fuit, ut non unus ex barbaris miserit vocem: „ite et bene valete Romani! Merito vos victores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fugistis."

stantiam admirationem hostium movisse. Quae vero a Floro loco alienissimo inserta sunt, ea recte Plutarchus commemorat, ubi hostes insequendo abstitisse dicuntur. Cf. Plut. 49: *ὡς γὰρ εἶδον οἱ Πάρθοι τὸν ποταμὸν τάς τε νεύρας ἀνῆκαν καὶ θαρροῦντας ἐκίλευον διαπερᾶν τοὺς Ῥωμαίους πολλὰ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν ἐγκωμιάζοντες.*

Orosius VI. 19: *Praeterea incertis et ignotis regionis locis impeditus* gravissima fame ad nefandos cibos coactus est. Sextus Rufus. 18: *Cum* fame, pestilentia, tempestatibusque *premeretur.*

Eutropius VII. 6: *regrepiens tamen* fame et pestilentia *laboravit.*

Florus IV. 10: *Non minor ex via postea quam ab hostibus accepta clades. Infesta primum* siti *regio, tum quibusdam* salmacidae infestiores, novissime quae iam ab invalidis et avide hauriebantur noxae etiam dulces fuere.

Plut. 45: *Καὶ λιμὸς ἥπτετο τοῦ στρατοῦ.... τραπόμενοι δὲ πρὸς λάχανα καὶ ῥίζας ὀλίγοις μὲν ἐνετύγχανον τῶν συνήθων, ἀναγκαζόμενοι δὲ πειρᾶσθαι καὶ τῶν ἀγεύστων πρότερον ἥψαντό τινος πόας ἐπὶ θάνατον διὰ μανίας ἀγούσης. κτλ.*

Plut. 47: *Καὶ τὸ δίψος ἐπέτεινεν ὁ ἀγών· ἀμυνόμενοι γὰρ ἅμα προῆγον. Οἱ δὲ πρῶτοι βαδίζοντες ἐντυγχάνουσι ποταμῷ ψυχρὸν μὲν ἔχοντι καὶ διαυγές, ἁλμυρὸν δὲ καὶ φαρμακῶδες ὕδωρ, ὅ ποθὲν εὐθὺς ὀδύνας ἑλκομένης τῆς κοιλίας καὶ τοῦ δίψους ἀναφλεγομένου παρεῖχεν.*

Dio tacet.

Florus IV. 10: *Cum argentum eius passim dolabris concideretur, et subinde inter moras mortem ab gladiatore suo flagi-*

Verba Flori satis obscura spectant ad ea quae traduntur a Plut. 48: *αὐτοὶ δὲ ἑαυτοῖς νύκτα χαλεπωτάτην πασῶν ἐκείνην καὶ φοβερωτάτην ἀπεργασάμενοι. Τοὺς γὰρ ἔχοντας ἀργύριον ἢ χρυσίον ἀποκτιννύντες ἐσυλῶν καὶ τὰ χρήματα*

tasset egregius imperator tandem perfugit in Syriam.

Sextus Rufus. 18: *Tanto per momenta temporum terrore perculsus, ut a gladiatore suo percuti postularet ne vivus veniret in hostium potestatem.*

τῶν ὑποζυγίων ἀφήρπαζον· τέλος δὲ τοῖς Ἀντωνίου σκευοφόροις ἐπιχειρήσαντες ἐκπώματα καὶ τραπέζας πολυτελεῖς κατέκοπτον καὶ διενέμοντο. Θορύβου δὲ πολλοῦ καὶ πλάνου τὸ στράτευμα πᾶν ἐπέχοντος . . . . . . Ἀντώνιος ἕνα καλέσας τῶν δορυφορούντων αὐτὸν ἀπελευθέρων ὄνομα Ῥάμνον ὥρκωσεν, ὅταν κελεύσῃ, τὸ ξίφος αὐτοῦ διεῖναι καὶ τὴν κεφάλην ἀποτεμεῖν, ὡς μήτε ἁλῴη ζῶν ὑπὸ τῶν πολεμίων μήτε γνωσθείη τεθνηκώς.

Dio tacet.

Livius Epit. CXXX; *in Armeniam reversus est,* viginti et uno diebus *trecenta milia fuga emensus.* Circa octo milia hominum tempestatibus amisit. *Tempestates quoque infestas super tam infeliciter susceptum Parthicum bellum culpa sua passus est,* quia hiemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.

Fideliter consentit Plutarchus, nisi quod eo auctore exercitus *septem et viginti* dierum iter emensus est, antequam ad Araxen flumen veniret. Cf. Plut. 50.

Plut. 51: τότε δὲ διὰ πολλοῦ χειμῶνος ἤδη καὶ νιφετῶν ἀπαύστων ἐπειγόμενος ὀκτακισχιλίους ἀπέβαλε καθ' ὁδόν. Quibuscum componas velim Plut. 37: τοσαύτην μέντοι παρασκευὴν καὶ δύναμιν . . . . . . ἀνόητον αὐτῷ διὰ Κλεοπάτραν γενέσθαι λέγουσιν. Σπεύδοντα γὰρ ἐκείνῃ συνδιαχειμάσαι τὸν πόλεμον ἐξενεγκεῖν πρὸ καιροῦ καὶ πᾶσι χρήσασθαι τεταραγμένως οὐκ ὄντα τῶν ἑαυτοῦ λογισμῶν κτλ.

Magnopere cum Livio et Plutarcho discrepat Dio XLIX. 31, qui tradit, multis promissis et adulationibus Antonium Artavasdi Armenio persuadere voluisse, ὅπως σφίσι χειμάσαι κατὰ χώραν ἐπιτρέψῃ, λέγων ὅτι τῷ ἦρι ἐπὶ τοὺς Πάρθους αὖθις ἐπιστρατεύσει.

Hac collatione instituta longo commentario facile supersederi potest, nam ipsa per se perspicue ostendit, inter Plutarchi et Livii narrationem certum atque manifestum intercedere vinculum necessitudinis. Duobus in locis offenditur leve discrimen numerorum, quod vero minime fontium diversitati, sed potius epitomatorum vel librariorum negligentiae imputandum censeo. 1) Prae-

1) In copiis Antonii recensendis mirum in modum omnes sibi invicem contradicunt. Livius numerat 18 legiones, Velleius: tredecim; Iustinus et Florus: sedecim; Plutarchus: legionariorum militum 60000, equitum 10000, sociorum 30000.

terea una modo remanet res gravioris momenti, quae scrupulum iniciat, natio scilicet ducis, qui in reditu Romano exercitui viam monstrabat. A Floro miles Crassianus, a Plutarcho Mardus appellatur. Hanc controversiam dirimere studuit Freinshemius, qui pro Μάρδος rescribi iussit Μάρσος 1), provocans ad Horatii carmen III, 5:

Milesne Crassi conjuge barbara
Turpis maritus vixit et hostium —
Pro curia inversique mores! —
Consenuit socerorum in armis
Sub rege Medo Marsus *et Apulus.*

Sed parum hac coniectura proficimus. Nulla est dubitatio, quin lectio Μάρδος, quae sine discrepantia in omnibus M.S.S. circumfertur, ipsi Plutarcho, non librario cuidam dormitanti debeatur. Tota enim Plutarchi narratio respuit suspicionem, quod ille militem Romanum ob oculos habuit. An erit quisquam, qui credat ad Crassi militem pertinere, quod dux ille nonnisi catenatus Antonio fidem facere potuisse dicitur? 2) Homini populari, credo, vel absque vinculis Antonius confisus esset. Sed ulterius pergo. Fontem Plutarchi prorsus ignorasse puto *militem Crassianum* Romanis fuisse auctorem salutis. Quid enim causae esse dicamus, cur Plutarchus, si revera hoc in exemplo suo legisset silentio praeteriret rem tam miram, tam aptam ad animos commovendos? Itaque non tangendam censeo lectionem vulgatam, quae non tantum genuina et sincera mihi videtur, sed etiam maiorem habet veri speciem quam id, quod apud Florum scriptum exstat. Unde enim peritia illa locorum Mediae in milite Marso, qui cum ceteris captivis in ultimam Parthiam, in urbem Antiochiam Margianam esset deduc-

---

1) Vide eius notam ad Florum IV, 10, 4.

2) Vide Plut. Ant. 41.

tus 1)? At idem admodum probabile et credibile in homine barbaro, qui regionem Mediae finitimam habitarèt. Vix igitur me retineo quin suspicer Crassianum illum militem numquam exstitisse, sed postea fictum esse, ut Romanus exercitus tamquam miraculo, vel ut Flori verbis utar, »*deorum miseratione*" servatus esse videretur. 2) Ne id quidem certum duco, an unquam in Livio ipso ista fabula lecta sit; fieri potest, ut Florus, qui semper nova, mira, inaudita stuperet, aliunde eam adductam narrationi inseruerit.

Utut id est, ubi omnia egregie conveniunt, una exceptione equidem non retineor, quominus Livium et Plutarchum ex uno et eodem fonte hausisse statuam. Quae si recte et ordine disputata sunt, simul evicimus, Dellii testimonium, a Strabone servatum Plutarcho haud secus atque Livio cognitum fuisse; idque quantum conducat ad Heereni coniecturam confirmandam unusquisque vel tacite mihi concedet.

Sed plura accedunt. Dellii historico opere laudato Strabo in proxime sequentibus agit de Antoniani exercitus laboribus et itineris impedimentis, quae non loci naturae assignat, sed Artavasdis perfidiae, 3) **ὅστις τὴν ἀπὸ τοῦ Ζεύγματος ὁδὸν τοῦ κατὰ τὸν Εὐφράτην μέχρι τοῦ ἅψασθαι τῆς Ἀτροπατηνῆς ὀκτακισχιλίων σταδίων ἐποίησε, πλέον ἢ διπλασίαν τῆς εὐθείας, διὰ ὀρῶν καὶ ἀνοδιῶν καὶ κυκλοπορίας.** Quod testimonium quamquam unde petitum sit reticetur, recte et sine temeritatis culpa vindicare mihi videor eidem Q. Dellio cuius de bello Parthico liber paullo ante diserte citatus est. Quid autem legimus apud Plutarchum? Cap. 38: **„πρῶτον μὲν οὖν αὐτοῦ δέον ἐν Ἀρ-**

1) Cf. Plin. H. N. VI. 16: „*urbis amplitudo circumitur stadiis LXX. In hanc Orodes Romanos Crassana clade captos deduxit.*"

2) Confitendum est, hanc fabulam haud multo post bellum Parthicum natam esse, quippe quam iam Velleius II, 82 commemoret.

3) Strabo 524.

μενίᾳ διαχειμάσαι καὶ διαναπαῦσαι τὸν στρατὸν ὀκτακισχιλίων σταδίων ἀποτετρυμένον πορείᾳ, κτλ." Congruenter igitur Dellius et Plutarchus aestimant itineris spatium quod ab exercitu Romano confectum est. Addere forsitan possim tertiam Strabonis de Antonii expeditione adnotationem, quae si non certo, attamen admodum probabiliter ad eundem auctorem referenda videtur. Strabo 530: „Ἀρταουάσδης δὲ Ἀντωνίῳ χωρὶς τῆς ἄλλης ἱππείας αὐτὴν τὴν κατάφρακτον ἑξακισχιλίαν ἵππον ἐκτάξας ἐπέδειξεν, ἡνίκα εἰς τὴν Μηδίαν ἐνέβαλε σὺν αὐτῷ." Id utique constat etiam hoc testimonium sine discrimine ullo inveniri apud Plutarchum 37: συνελθούσης αὐτῷ τῆς δυνάμεως καὶ τῶν συμμάχων βασιλέων (πάμπολλοι δὲ ἦσαν οὗτοι, μέγιστος δὲ πάντων ὁ τῆς Ἀρμενίας Ἀρταουάσδης ἑξακισχιλίους ἱππεῖς καὶ πεζοὺς ἑπτακισχιλίους παρέχων) ἐξήτασε τὸν στρατόν. 1) Quod igitur unum Heereni argumentationi deesse videbatur, ut scilicet Dellii fragmentis adhibitis utriusque necessitudinem proferret in lucem, inquisitione nostra exploratum habemus: constat enim Plutarchum accurate convenire cum omnibus quantumvis exiguis fragmentis, quae ad nostram aetatem propagata sunt.

Quae quum ita sint, rationibus omnibus subductis vere statuere posse mihi videor, Plutarchum in bello Parthico describendo ad Q. Dellii auctoritatem confugisse 2).

---

1) Alibi Plutarchus parum sibi constare videtur. Cap. 50: „Εἰ γὰρ οὓς ἀπήγαγεν ἐκ Μηδίας ἱππεῖς ἑξακισχιλίους καὶ μυρίους παρῆσαν ἐσκευασμένοι παραπλησίως Πάρθοις ..... οὐκ ἂν ὑπῆρξεν αὐτοῖς ἡττωμένοις ἀναφέρειν καὶ ἀνατολμᾶν τοσαυτάκις." Ad hanc discrepantiam tollendam Sintenis delet vocabula καὶ μυρίους, vel corrigendum censet τοῖς μυρίοις, ut 10000 equitum Romanorum significentur; vereor autem ne temere. Priore loco Plutarchus rationem habet tantum τῆς καταφράκτου ἵππου, qui alibi (Plut. Crass. 19) οἱ φύλακες καὶ πρόπομποι βασιλέως appellantur. Cum eadem custodia sex milium equitum Artavasdes anno 53 venerat in castra Crassi. Altero loco Plutarchus adnumerat τὴν ἄλλην ἱππείαν, qua Strabone auctore rex Armenius Antonio opitulatus est.

2) Ante paucos dies in manus mihi venit „*Bursians Jahresbericht VIII. Erstes Heft.* 1881." unde certior factus sum me ab alio esse occupatum. August Bürcklein in dissertatione, quae prodiit Berolini anno 1879, iisdem,

Nunc iam redeamus ad propositum. Praeter scriptores, quos supra commemoravi, legebantur Dionis aetate Parthica Arriani, quem septemdecim libris Traiani res gestas contra Parthos enarrasse Photius auctor est. 1) Deinde Appianus quoque edidit historiam Parthicam; quae vero nunc huius nomine circumfertur, eam nihil ad Appianum pertinere et ex Plutarchi vitis Crassi et Antonii inepte compilatam et ad verbum descriptam esse, id tam docte et perspicue demonstratum est a viro clarissimo Schweighäuser, ut nihil possit supra. 2) Denique nominanda sunt Parthica Asinii Quadrati, quorum liber quartus citatur a Stephano Byzantino 3). Ecce habes omnes, quorum nomina tempus nobis concessit, sed quotam partem eos fuisse dicamus eorum, qui olim res Parthicas exposuerint? Adde deperditos libros Livii, Posidonii Apamensis, 4) Strabonis, 5) quos in historiis suis copiose de Parthicis rebus

---

uti videtur, argumentis Heereni coniecturam stabilire conatus est. Idcirco siquid boni habet mea disputatio, omnem honorem libens huic viro concedo.

1) Cf. Photius 58, pag. 17. (Ed. Bekker) *Ἀνεγνώσθη Ἀρριανοῦ Παρθικὰ ἐν βιβλίοις ιζ΄ ...... διέρχεται δὲ ἐν ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ τοὺς πολέμους οὓς ἐπολέμησαν Ῥωμαῖοι καὶ Πάρθοι Ῥωμαίων αὐτοκράτορος ὄντος Τραϊάνου.* Haud absurda videtur coniectura, quod Arrianus prooemii loco brevem rerum ante gestarum conspectum praemisit, nam quod Photius nobis conservavit fragmentum (60, pag. 52) copiose agit de Arsace, Parthici imperii conditore.

2) Vide eius ad Parthicam historiam adnotationem, quam addidit Appiani editioni, III. pag. 905 sqq. Id ipsum addubitat vir clarissimus, num unquam hic liber reapse ab Appiano perfectus et cum ceteris historiarum libris editus fuerit.

3) Müller, Fragm. Histor. Gr. III, 660.

4) Vide commentationem de Trogi Pompei fontibus et auctoritate viri clarissimi Heeren (Comm. soc. Reg. scient. Gött. XV, 239.) Hic quidem Trogum Pompeium in rerum Parthicarum enarratione unice ad Posidonii auctoritatem confugisse pro certo exploratoque affirmat, quod, quamquam in universum dubium admodum et incertum, certe non valet de Iustini libro XLII. In eo enim Orodis et Phraätis res gestae enarrantur. At vero Posidonius iam anno 51 de vita decesserat. Cf. Ianus Bake, Posidonii Rhodii reliquiae doctrinae, pag. 9.

5) Strabo 515: *εἰρηκότες δὲ πολλὰ περὶ τῶν Παρθικῶν νομίμων ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστορικῶν ὑπομνημάτων βίβλῳ, δευτέρᾳ δὲ τῶν μετὰ Πολύβιον, παραλείψομεν ἐνταῦθα μὴ ταυτολογεῖν δόξωμεν.*

egisse constat, et mecum senties causam esse, cur subirascamur temporis fortunaeque iniuriae et iniquitati, quibus tot veterum monumenta absumpta sunt.

Omnis fere nostra notitia constat indiciis, testimoniis, narrationibus sparsim hinc illinc collectis et consarcinatis ex magna scriptorum varietate, quorum argumentum vetuit, ne res Parthicas silentio praeterirent. Sic, ut ex magno eorum numero paucos commemorem, Polybius, Plutarchus, Dio Cassius, Flavius Iosephus, Herodianus, Tacitus, Ammianus Marcellinus non potuerunt non attingere res gestas Parthorum, quatenus suis cum rebus cohaererent. Sed ex communi litterarum naufragio ne unus quidem auctor tulit aetatem, qui peculiarem libellum de Parthorum gente condiderit quive perpetuum eius historiae conspectum reliquerit posteritati, nisi forte excipias Trogi Pompei reliquias, quas Iustinus nobis servavit. Hic quidem duobus libris haud ita magnis complexus est totam historiam inde a regni primordiis usque ad Phraätem IV, et priorum saltem temporum fere unicus testis nobis adest; tantam vero — ut proprio capite demonstrabo — exhibuit negligentiam et socordiam, ut nonnisi caute et circumspecte audiendum eum esse iudicem.

Reliquum est, ut mentio fiat nummorum, quorum magna copia ad nostram pervenit aetatem. Paucos aereos si excipias, omnes Parthorum nummi argentei sunt, quorum duplex genus discerni potest, alterum drachmarum, quae ex ipsorum regum officinis originem ducunt, alterum continens tetradrachma, cusa a Graecis civitatibus, quibus ab Arsacidis nummorum feriundorum ius impertitum fuisse videtur 1). Cernitur in parte aversa praeter commune stirpis nomen *ΑΡΣΑΚΟΥ* longa series

1) Eckhel. Doctr. Vet. Num. III, 549.

Graecorum titulorum, quos Seleucidarum imitatione Parthorum reges assumere solebant, sed melius consultum fuisset nostrae rerum Parthicarum cognitioni, si pro vanis istis cognominibus proprium regis nomen inscriptum haberent. Inde factum est, ut res sit plena molestiarum eos digerere et ad suum quemque auctorem revocare, quae difficultas hoc quoque augetur, quod drachmae nullam omnino temporis notam prae se ferunt. In tetradrachma annus et mensis secundum Seleucidarum aeram incisi sunt; eorum autem nullum, quod sciam, repertum est, quod Phraätis IV aetatem antecedat. Ex quo Vaillantius primus in hoc stadio vestigia posuit, multi 1) exstiterunt viri eruditi, quos argumenti neque difficultas neque obscuritas deterruit, quominus nummos disponere et interpretari conarentur, neque negandum est utilissimam eos operam navasse: nummorum caterva indigesta olim et turbata nunc quidem ad certum quemdam ordinem redacta est; multa capita historiae Parthicae egregie illustrarunt, Arsacidarum seriem, quoad eius fieri potuit, constituerunt, chronologicam rationem subinde emendarunt. Quod autem saepius in rebus dubiis et incertis usu venit, ut scilicet viri docti testimoniorum paucitatem vel absentiam sua fingendi et coniectandi arte tamquam explere et compensare studeant, id hic quoque observari potest. Imprimis notanda est Vaillantii audacia, qui nulla certa aut probabili ratione ductus, prout animus ferebat, nummos suos ad varios Parthorum reges rettulit, et in historia in tantos incidit errores, ut vix excusari possit eo, quod morte prohibitus est, ne ultimam manum operi adhiberet. Ex uno disce omnes. De Mithridate Magno, Arsa-

1) *J. Foi Vaillant,* Arsacidarum imperium. *L. du Four de Longuerue:* Annales Arsacidarum. *Mionnet,* Désc. des méd. ant. Gr. et Rom. V. *Pellerin:* Recueil de Médailles de Rois, I. *Visconti:* Iconographie Grecque III. *Th. Chr. Tychsen:* De nummis veterum Persarum Comm. IV. (Comm. soc. Reg. scient. Gött. 1813.)

cidarum nono, neque quo anno mortem obierit, neque quis ei successerit, ne coniectura quidem assequi possumus. Quod enim Mommsenus 1) eum a fratre Orode victum et interfectum tradit, in eo sibi imponi passus est gravi Iustini errore, ut suo loco perspicue demonstrabimus. Superstes erat Mithridates circa annum 90 a. C. n., si quidem credere liceat Flavio Iosepho, qui 2) participem eum fuisse affirmat bellorum domesticorum, quibus id temporis ardebat regia domus Seleucidarum. Qui primus post illum rex Parthorum commemoratur, Sanatroeces anno 77 3) rerum potitus est. De toto hoc temporis intervallo nulla apud veteres auctores memoria exstat, nisi quod Strabo et Plutarchus obiter testantur, regnum Parthicum discordiis domesticis et bello Armenio vehementer laborasse. In tanta caligine una opinor ratio sana est eorum quos ignorantiam libere profiteri non pudeat. Quid autem Vaillantius? Mitto, quod Mithridatis mortem ad certum aliquem annum rettulit; hoc enim temeritatis crimen sustinet cum aliis multis, 4) qui suo arbitratu alii alium annum fingebant et confidenter statuebant; ille autem longe impudentius coniectandi libidini indulsit. Ut lacunam in historia

---

1) Historia Romana II 268. Vide dissertationis paginam 24.

2) Flav. Iosephus, XIII, 14, 3.

3) Hic annus colligitur ex Luciano, Longaev. 15: *Σινατρούκης δὲ ὁ Παρθυαίων βασιλεὺς ἔτος ὀγδοηκοστὸν ἤδη γεγονὼς ἀπὸ Σακαυράκων Σκυθῶν καταχθεὶς βασιλεύειν ἤρξατο καὶ ἐβασίλευσεν ἔτη ἑπτά.* et ex Phlegonte Tralliano in Photio, cod. 97, pag. 268: Anno tertio Olympiadis 177, i. e, anno 70 *Σινατρούκην τὸν Πάρθων βασιλέα τελευτήσαντα διεδέξατο Φραάτης ὁ ἐπικληθεὶς θεός.* Appianus (Mithridat. 104) eum Sintricum appellat, sed verum nomen patet ex nummo, qui hunc titulum exhibet: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ ΣΑΝΑΤΡΟΙΚΟΥ ΑΡΣΑΚΟΥ ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ.* Cf. Visconti, Iconogr. Grecque III. pag. 74. Pellerin, Recueil de Méd. pag. 144.

4) Ut fieri par est in re tam incerta, omnes dissentiunt. Vaillant statui annum 88, de Longuerue 90, Tychsen 88, Mionnet et Visconti annum 86. Solus Mommsenius (H. R. II 268) qui ponit annum 87, prudenter addit signum interrogationis.

pro viribus expleret, expiscatus est ex Luciano 1) Mnascirem nescio quem regem Parthorum, quem Mithridati Magno successisse ac cum Sanatroece de regno dimicasse asseverat. Neque hic substitit; ficto huic regi quisnam pater fuerit, quo iure regnum sibi vindicaverit demonstrare posse sibi visus est; nummum denique aliquem ex collectione sua exprompsit, eique assignavit nullo alio iure quam quod regis effigiem senilem in antica expressam optime convenire iudicaret cum verbis Luciani, qui ad nonagesimum aetatis annum Mnascirem pervenisse tradiderit. Sic meras effundens coniecturas, ut quae historiam Parthorum premunt caligines dissiparentur scilicet et discuterentur, vir doctissimus operae pretium facere sibi visus est; quo quid est ineptius? 2)

---

1) Lucian, Longaev. 15: *Σινατρούκης δὲ ὁ Παρθυαίων βασιλεὺς ἔτος ὀγδοηκοστὸν ἤδη γεγονὼς ἀπὸ Σακαυράκων Σκυθῶν καταχθεὶς βασιλεύειν ἤρξατο καὶ ἐβασίλευσεν ἔτη ἑπτά.* Deinde aliis regibus, Tigrane Armenio, tribusque urbis Characis dynastis interpositis ita pergit: *καὶ Μνασκίρης δὲ βασιλεὺς Παρθυαίων ἓξ καὶ ἐνενήκοντα ἔζησεν ἔτη.* Si nihil aliud, iam tota obstaret ratio et consilium huius Luciani libelli. Lucianus enim, reges longaevos enumerans, id agit, ut eiusdem gentis reges componat et sic quidem, ut secundum aetatem qua vixerunt alter alterum sequatur. Unde efficitur, ut siquid Luciani verba de tempore regis Mnasciris arguant, post non ante Sanatroecem regnasse illum statuendum sit. Fac autem, revera duos illos senes decrepitos alterum alteri successisse, nonne mirum videtur, quod Lucianus rem tam novam et inauditam, tam argumento congruentem, commemorare neglexit?

2) Merito Visconti hanc de Mnascire rege coniecturam explosit; quam autem ipse substituit, ea haud minus digna est reprehensione. Protulit scilicet nummum valde detritum atque mutilatum, in cuius antica conspicitur effigies Phraätis IV, dum pars aversa exhibet vultum adolescentuli cum titulo satis truncato, unde hasce litteras deprehendere sibi visus est: *ΜΝΑΣΚΥΡΑ ΚΙΑ.... ΥΟΝ Και ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΗΣ ΒΑΣΙΛεα.* Haec ita interpretatur: „*le roi Mnascyr fils de Cîa — et de la reine Arsé. — Un monogramme, où l'on distingue un A réuni à un Π et à un O, est gravé deux fois dans le champ en devant de la tête; c'est le même monogramme que nous avons remarqué sur plusieurs autres médailles des Arsaces, et que j'ai cru pouvoir rapporter à la région ou satrapie de l'Apolloniatide. Il me paraît probable que la reine Arsé, mère de Mnascyr, était fille ou du moins parente de Phraäte IV et que ce prince avait donné à son petit-fils la satrapie de l'Apolloniatide avec le titre de roi. Il me paraît encore également probable que le prince Mnaskyrès qui est*

Qui post eum iisdem rebus vacarunt, Mionnet, Pellerin, Visconti, quamquam multo maiorem diligentiam eos adhibuisse confitendum est, non tamen se ab omni audaciae culpa remotos praestiterunt. Hi quoque eo morbo laborant, ut rerum quas tractant obscuritati vanis commentis occurrere conentur, quod imprimis adparet in rebus chronologicis. Suum cuique facto annum promptum et paratum habent; sitne verus an falsus, id minus curant. Supra iam vidimus quam temere versati sint in Mithridatis mortis tempore definiendo. Addam alterum exemplum. Phraätem III, Sanatroecis successorem, a filiis suis interfectum esse satis constat. Si quaeritur, quo anno hoc parricidium perpetratum sit, equidem iuxta cum ignarissimis nescire me fateor; nullus exstat neque nummus neque auctor, qui hoc memoriae prodiderit. Quid autem viri docti? Dixeris fere, piaculum eos habuisse, si quem sine anno mortis induxissent in seriem Arsacidarum, nam quasi res sit omni dubio vacua, miro consensu omnes profitentur *per decem annos* Phraätem regnum obtinuisse, eiusque caedem igitur anno 60 commissam esse. Sed risum plane movet alia res, quam de eodem hoc principe fingunt de suo. Affirmant scilicet — et Vaillantium in eo habent ducem — iam vivo patre Phraätem in regni societatem esse receptum, ad quod probandum testem producunt Sallustium in Mithridatis epistola ad regem Arsacen. Sin autem litteras perlegeris, animadvertes, inde ne levissimum quidem erui posse indicium, quod opinionem eorum

---

l'objet de nos recherches, est le même que celui dont parle Lucien, et qui vécut jusqu'à 86 *ans.*" Quid, quaeso, divinare est, si hoc non est? Postea reperti sunt alii nummi eiusdem generis, sed melioris notae, unde intelligi potest, quantum a scopo aberraverit vir doctissimus. Quem enim vultum adolescentuli esse censuit, is reapse feminam repraesentat, *Musam* scilicet, uxorem Phraätis, quemadmodum satis constat ex inscriptione, quae in illis nummis intacta evasit: *ΜΟΥΣΗΣ Βασιλισσης ΘΕΑΣ ΟΥΡΑΝΙΑΣ.* Hoc exemplo nihil opinor melius docet, quam cauti esse debeamus in admittendis coniecturis quae solis nummis nituntur.

probabilem reddat. Quod etiamsi minime fugerit virum doctissimum Visconti, tamen rem certissimam esse iudicavit. Qua vi argumentorum adductus? Unus ex tribus nummis quos regi Phraäti addicit, exhibet titulum: ***ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ ΑΡΣΑΚΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΘΕΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ.*** Iam hoc unum *Eupatoris* nomen totam rem conficere opinatur. Nempe: »*Le surnom de θεός distinguait, suivant Phlégon, Phraate III; celui d'Eupator convient à ce prince; il exprime sa reconnaissance filiale pour Sanatrécès,* qui l'avait admis à partager avec lui l'autorité royale. Eo audaciae necessario pervenire debet quicunque vanis istis titulis, quales unusquisque Arsacidarum magna cum ostentatione assumere solebat, abutitur, ut fidem addat commentis et suspicionibus, quae nullis aliis certis testimoniis nituntur.

Haud erat difficile plures id genus errores proferre, sed libens hoc praetermitto. Namque ut sum mearum ipsius virium bene conscius, nil minus me decere intelligo, quam ut data opera corradam omnia, quibus mea mediocritas in viros optime de litteris meritos invehi possit. Praeterea vel sic huius capitis proposito abunde satisfactum est; id enim unum ostendere volui, quam sit misera et lacunosa Parthicae historiae conditio, quot fontes temporis rapacitas absorpserit, quam paucos nobis reliquerit.

CAPUT SECUNDUM.

DE FIDE ET AUCTORITATE IUSTINI IN REBUS PARTHICIS ENARRANDIS.

Ex paucis, quae Iustinus ex Trogi Pompei historiis nobis servavit excerptis, haud multum lucramur ad cognoscendas res Parthicas, quae ad nostrum quidem argumentum spectant. Duobus iisque brevissimis libris XLI et XLII, quorum magna pars occupatur digressionibus de Bactriae et Armeniae originibus, omnem historiam Parthicam ab initio regni Arsacidarum usque ad Augusti tempora complexus est. Iam statim inde sequitur, ut narratione in tam angustis finibus coartata, res memorabiles tanto temporis spatio gestas leviter magis perstringere quam accurate pertractare potuerit, quod unicuique hanc Iustini operis partem inspicienti facile in oculos incurret.

Quamquam id ita se habet, tamen grato animo accipiendae sunt reliquiae quantumvis exiguae, quas nobis tradidit; non quo aut mira dictionis praestantia aut insigni diligentia et fide sese commendent, sed hac una de causa, quod in iis agitur de illis temporibus quae post tot scriptorum interitum aterrimis nubibus involuta sunt. Hoc monumentorum naufragio vel paucae istae reliquiae, quas si alii de iisdem rebus auctores nobis suppeterent, fortasse cum fastu seponeremus, gravitate quadam et aucto-

ritate ornantur. Sic praesertim in libro XLI nonnulla leguntur cum de moribus, tum de rebus gestis Parthorum quae non aliunde nobis innotuerunt. Quum e ceteris fontibus non nisi partes et fragmenta historiae cognoscuntur, solus Iustinus exhibet brevem sane, attamen perpetuum conspectum eorum historiae usque ad regnum Phraätis IV; solus servavit cognomina nonnullorum Arsacidarum, quae magno usui fuerunt ad regum seriem usque ad Augusti aetatem constituendam.

Quamquam igitur minime omne momentum nostro auctori abiudico, tamen magno opere cavendum est, ne splendidius aequo eius laudes praedicemus, neve exemplum imitemur viri Clarissimi Heeren, qui in commentatione de Trogi Pompei fontibus et auctoritate multus fuit in Iustino laudibus extollendo, et Parthica eius ipso auro pretiosiora esse profiteri non dubitavit. 1) Profecto aut largiorem quam par erat honorem ei tribuit vir celeberrimus, aut pretiosissimum metallum parum apud illum valuisse iudicandum est. Nam si quaestionem nobis proponimus quanta diligentia ac fide Iustinus in hac parte Trogi operis excerpenda fuerit versatus, multum de profusis istis laudibus detrahere cogimur. Facile enim apparet, fidem earum rerum quas solus ille nobis commemorarit, admodum infirmari, si in iis narrationis partibus, quas cum aliorum auctorum testimoniis componere liceat, pessimam eum adhibuisse negligentiam solidis argumentis demonstratum dederimus.

Quod ad librum XLI attinet, de cuius fide historica iudicium ferre propter aliorum fide dignorum fontium paucitatem difficilius est, iam Droysen 2) nonnullos detexit errores, qui docent quam impedite et perplexe res Parthorum a Iustino expositae sint. Eadem vitia etiam

1) Vide Comm. Soc. Reg. scient. Götting. XV. pag. 239.

2) Geschichte des Hellenismus. II, 331.

in libro XLII deprehenduntur, sed eo manifestius, quod hic alii scriptores nobis praesto sunt, quibuscum possit comparari. Omnino hic liber praecedente longe minoris faciendus est, nam si duo priora capita excipias, in quibus agit de Phraäte II, Artabano II, Mithridate Magno, reliqua omnia parum nostram rerum Parthicarum cognitionem augent. Sequitur enim παρέκβασις, quam mythologicam potius quam historicam dixeris de Iasonis Argonautarum ducis bellis in Asia gestis, et de Media Armeniaque a comitibus eius conditis. Quae denique duobus ultimis capitibus tradit de regno Orodis et Phraätis IV, ea apud alios gravioris auctoritatis scriptores maiore ex parte uberius et accuratius exposita exstant. Cuius opinionis ut reddam rationes, adscribam aliquos locos aut negligenter aut contra veritatem narratos, e quibus palam fiet, quanti eius auctoritas et fides aestimanda sit.

Iam statim initio capitis quarti insignis erroris manifestus tenetur. In capite secundo ita praeclaras res gestas Mithridatis Magni exposuerat:

›*Artabano Mithridates filius succedit, cui res gestae magni cognomen dedere; quippe claritatem parentum aemulatione virtutis accensus animi magnitudine supergreditur. Multa igitur bella cum finitimis magna virtute gessit multosque populos Parthico regno addidit. Sed et cum Scythis prospere aliquoties dimicavit ultorque iniuriae parentum fuit.* A d p o s t r e m u m A r t a v a s d i A r m e n i o r u m r e g i b e l l u m i n t u l i t." Deinde postquam παρέκβασιν inseruit de Armeniae origine, hisce verbis ad propositum revertitur:

›*Igitur Mithridates rex Parthorum post bellum Armeniae propter crudelitatem a senatu Parthico regno pellitur. Frater eius Orodes, cum regnum vacans occupasset, Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsidet et fame coactos in deditionem oppidanos compellit. Mithridates*

autem fiducia cognationis ultro se in potestatem Orodis tradit. Sed Orodes plus hostem quam fratrem cogitans in conspectu suo trucidari eum iussit et post haec bellum cum Romanis gessit, Crassumque imperatorem cum filio et omni exercitu delevit."

Ut vides, duobus his locis pessime confunduntur duo Arsacidae, qui nihil nisi nomen commune habent, quibusque haud minus triginta annorum intervallum intercedit. Mithridates, quo de agitur priore loco, cognomine Magnus appellatus vixit circiter annum 100; hic Parthorum primus consuetudinem cum Romanis contraxit et legatos misit de pace atque amicitia ad L. Cornelium Sullam anno 92 pro praetore in Asia versantem. 1) Superstes adhuc erat circa annum 90. 2) Quae autem digressione facta de bello Armenio Iustinus dicere pergit, minime ad hunc spectant, sed ut evidenter ex sequentibus apparet, ad Orodis fratrem natu maiorem, qui patre Phraäte interfecto viam sibi munivit ad regiam dignitatem aliquanto ante annum 56. 3)

Non hic, ut in aliis rebus, quae perverse a Iustino narratae sunt, quaestio oritur, sitne culpa Trogi Pompei an Iustini negligenter eum excerpentis. Omnem dubitandi locum praeripiunt verba prologi ad libr. XLII Trogi Pompei: »*utque Phraati* (lege: Artabano) *successit rex Mithridates cognomine Magnus, qui Armeniis bellum intulit. Inde repetitae origines Armeniorum et situs.* Ut varia complurium regum in Parthis

---

1) Cf. Plut. Sulla V; Liv. Epit. 70. — Vell. II, 24, falso hanc legationem refert ad annum 83 post finem belli Mithridatici.

2) Vide dissertationis pag. 16.

3) Fallitur Dio XXXIX, 56 Orodem Phraätis successorem nominans: *τοῦ γὰρ Φραάτου ὑπὸ τῶν παίδων δολοφονηθέντος Ὀρώδης τήν τε βασιλείαν αὐτοῦ διεδέξατο καὶ Μιθριδάτην τὸν ἀδελφὸν ἐκ τῆς Μηδίας ἧς ἦρχεν ἐξέβαλεν.* Iustini testimonio praesidio est Appianus, Syr. 5: *Μιθριδάτης μὲν ὁ Παρθυαίων βασιλεὺς ἐξελαυνόμενος τῆς ἀρχῆς ὑπ' Ὀρώδου τοῦ ἀδελφοῦ μετῆγεν* (scil. *τὸν Γαβίνιον*) *ἐξ Ἀράβων ἐπὶ Παρθυαίους.*

successione *imperium accepit Orodes, qui Crassum delevit, et Syriam per filium Pacorum occupavit.*" Hinc facili negotio colligitur in integro Trogi opere utriusque regis discrimen diligenter fuisse servatum, neque ibi occurrisse lacunam, quae deprehenditur apud Iustinum, quamque eo iniquius ferimus propterea quod inde factum est, ut aterrima nocte premantur tempora, quae Mithridatis Magni regnum subsequuntur. 1)

De bello a Mithridate III Armeniae illato solus Iustinus nobis testis est. Mommsen (Hist. Rom. III 327) affirmat Armeniae regnum tunc fuisse penes Artavasden, Tigranis filium, cuius rei disertum testimonium nusquam apparet, neque aliud afferri potest argumentum, quam quod etiam adversarius Mithridatis Magni nomen Artavasdis gerebat; Iustini enim error facilius potest explicari, si duo illi reges Armeniae cognomines fuerunt. Sed vereor ne temporum ratio sit impedimento. Constat, ut infra docebo, iam media aestate anni 56 Mithridatem in exsilium esse expulsum; bellum igitur Armenium gestum esse oportet certe non post anni eiusdem initium. Eo tempore Tigranes nondum e vita decesserat, quod manifesto apparet ex Ciceronis oratione pro P. Sestio, quae ante a. d. II Id. Mart. habita est. Cf. pro Sestio, 59: »*Tigranes igitur, qui et ipse hostis fuit populi Romani, et acerrimum hostem in regnum recepit*........... regnat hodie, *et amicitiae nomen ac societatis, quod armis violarat, id precibus est consecutus.*" Regis Artavasdis nomen primum occurrit ad annum 53, quum Crasso in Parthiam invadenti obtulit suam societatem. 2)

1) Male factum, quod vel Mommsenus in Hist. Rom. II, 268 a Iustino in errorem inductus Mithridati Magno attribuit, quae ad Mithridatem III pertinuerunt: „*und während die Groszen des Reiches, ja der eigene Bruder Orodes ihn (den Mithridates II) stürzte und tödten liesz, erhob sich das bis dahin unbedeutende Armenien.*"

2) Cf. Plut. Crass. 19.

Inter eos qui post bellum Armenium seditionem contra Mithridatem movebant, principem locum obtinebat Surena, praeclarus ille dux, qui postea Parthis in bello contra Crassum praefuit. Hic quidem Orodem, in exsilium pulsum, restituit in patriam, diadema ei imponit, Seleuciam urbem expugnat. 1) Quod Iustinus addit de Babylone capta, id biennio post factum est. Prius enim Mithridates cum Orsane quodam 2) se confert ad provinciam Syriam, quam ab anno 57 A. Gabinius proconsul obtinebat, eumque permovet, ut sua causa expeditionem suscipiat in Parthos. Appian. Syr. 51: „καὶ πολεμεῖν τὸν Γαβίνιον ὁρμῶντα (scilicet contra Arabes finitimos, qui iamdudum fines provinciae infestaverant.) Μιθριδάτης μὲν ὁ Παρθυαίων βασιλεὺς ἐξελαυνόμενος τῆς ἀρχῆς ὑπ' Ὀρώδου τοῦ ἀδελφοῦ μετῆγεν ἐξ Ἀράβων ἐπὶ Παρθυαίους. Itemque Dio XXXIX, 56; hic tamen in eo errans, quod pro Mithridate Orodem successorem Phraätis nominat. Gabinius igitur bellum Parthicum parat; iamque Euphratem flumen traiecerat, 3) quum supervenit Ptolemaeus Auletes, qui et ipse ut in regnum suum reduceretur orans, praemio decem milium talentum proposito impetravit, ut itinere converso Alexandriam ille contenderet. Haec expeditio inita est circa finem anni 56, vel ineunte anno sequente, nam mense Martio anni 55 Ptolemaeus iterum in solio regio sedebat, ut haud improbabiliter efficitur ex Ciceronis epistola ad Atticum IV, 10, scripta a. d. X Kal. Maias: »*Puteolis magnus est rumor Ptolemaeum esse in regno.*"

Nunc iam accuratius statuere possumus, quo tempore Mithridates regno pulsus ad Gabinium pervenerit. Archelaus enim, quem in Ptolemaei locum Alexandrini regem substituerant, per sex menses regia fruebatur dignitate.

---

1) Cf. Plut. Crass. 21.

2) Cf. Flav. Ios. Ant. Jud. XIV, 6.

3) Cf. Flav. Ios. Ant. Jud. XIV, 6. 2.

Cf. Strabo 558: „καὶ παραδεχθεὶς ἐβασίλευσεν ἓξ μῆνας. τοῦτον μὲν ὁ Γαβίνιος ἀνεῖλεν ἐν παρατάξει κατάγων τὸν Πτολεμαῖον. Antequam rex Alexandriae receptus est, i. e. igitur ante mensem Septembrem anni 56 morabatur in Syria cum Gabinio, iam tunc bellum Parthicum parante. Cf. Strabo 796: „Γαβινίῳ δὲ τότε συνδιέτριψεν ὡς συστρατεύσων ἐπὶ Παρθυαίους, λαθὼν δὲ τοῦτον κομίζεται διά τινων εἰς τὴν βασίλισσαν καὶ ἀναδείκνυται βασιλεύς." Haud procul ergo mihi videor a vero abesse, si Mithridatem, cuius adventus Gabinium ad bellum permoverit, iam media aestate ex Parthia fugisse statuam.

Gabinius utrum regem Parthicum secum in Aegyptum abduxerit, an in Syria reliquerit, non liquet; sed aperte falsum est, quod addit Mommsenus in Hist. Rom. III, 327: »*In der Erwartung bald wieder zurück zu sein veranlasste er den bei ihm Hülfe bittenden entthronten Partherfürsten den Krieg inzwischen auf eigene Faust zu eröffnen. Mithridates that es.*" Contra e Flavio Iosepho XIV, 6, 4. constat *aliquanto post Gabinii in Syriam reditum* dimissum illum in patriam revertisse. Ibi nescio quo modo Babylone potitus est, sed ab Orode oppugnatus, postquam urbem seque ipsum in potestatem eius tradiderat, fratris iussu ultimum subiit supplicium. Hunc belli domestici finem adscribo anno 54, quod *diu* Babylonem obsessam Iustinus tradit, nec dubito, quin hae turbae civiles Orodi fuerint in causa, cur Crasso id temporis late arma sua in Mesopotamia circumferenti, 1) obviam ire neglexerit.

Celeberrimam Crassi expeditionem hisce tantummodo verbis Iustinus describit: »*Orodes bellum cum Romanis gessit Crassumque imperatorem cum filio* et omni exercitu Romano *delevit.*" Meliora nos docent Plutarchus, Dio, Appianus, e quibus patet, complures milites ex tanta

1) Cf. Plut. Crass. 17; Dio 40, 13.

clade incolumes partim in Syriam, partim alio evasisse. Hi deinde a Cassio quaestore recollecti numero satis validi erant ut duas legiones explerent, et biennio post Cassio duce ingentes Parthorum copias ex Syria expellerent. Cf. Velleius II 46: »*Reliquias legionum C. Cassius... conservavit, Syriamque adeo in P. R. potestate retinuit, ut transgressos in eam Parthos felici rerum eventu fugaret ac funderet.*" App. B. C. II, 49: „Πομπηΐῳ δὲ (ἦν) πέντε μὲν ἐξ Ἰταλίας (τέλη).... ἐκ δὲ Παρθυαίων δύο τῶν σὺν Κράσσῳ πεπολεμηκότων τὰ ὑπόλοιπα." Similiter Iustinus in maius auget clades, quas Cassius et postea Ventidius Parthis in Syria intulerunt.

Graviora sunt et digniora, quae censurae subiciantur, ea quae legimus § 6: »*His ita gestis non magno post tempore Romanis inter Caesarem Pompeiumque civile bellum oritur, in quo Parthi* Pompeianarum partium *fuere.*"

Multum his verbis discrepat testimonium Dionis XLI, 55: „ἄνευ γὰρ δὴ τοῦ τε Φαρνάκου καὶ τοῦ Ὀρώδου, καὶ γὰρ τοῦτον, καίτοι πολέμιον ἀφ' οὗ τοὺς Κράσσους ἀπέκτεινεν ὄντα, προσεταιρίσασθαι ἐπεχείρησε, πάντες οἱ ἄλλοι...... καὶ χρήματά οἱ ἔδωκαν, καὶ βοηθείας οἱ μὲν ἔπεμψαν, οἱ δὲ ἤγαγον. Ὁ δὲ δὴ Πάρθος ὑπέσχετο μὲν αὐτῷ, ἂν τὴν Συρίαν λάβῃ, συμμαχήσειν, μὴ τυχὼν δὲ αὐτῆς οὐκ ἐπήμυνεν."

Quin alio loco nobis 1) auctor est, legatum opis petendae causa a Pompeio ad Orodem missum ab hoc in vincula esse coniectum. Plutarchus non diserte quidem Parthorum societatem commemorat, sed legitur apud eum testimonium quod, si verum est, Iustini verbis haud leve pondus afferre iudico. In vita Pompei, cap. 76 narratum invenimus, Pompeium post cladem Pharsalicam, quum consilii inops litus Asiae Minoris legeret, in animo habuisse

---

1) Dio XLII, 2.

ad Parthos confugere, unde nova subsidia belli sibi pararet. Appianus B. C. II. 83, Velleius II. 53, Florus IV, 2 item hoc memoriae produnt. Dio autem, cui ea res haud ignota erat, acriter eam impugnat, nec ulla fide dignam esse opinatur. Cf. Dio XLII, 2: „ἤκουσα μὲν γὰρ (legerat scilicet in Livio, ex quo Florus idem deprompsit.) ὅτι καὶ ἐς Πάρθους φυγεῖν ἐβουλεύσατο, οὐ μέντοι καὶ πιστεύειν ἔχω. Ἐκεῖνοί τε γὰρ τούς τε Ῥωμαίους πάντας ἀφ' οὗ σφισιν ὁ Κράσσος ἐπεστράτευσε, καὶ τὸν Πομπήϊον μάλιστα ἅτε καὶ προσήκοντα αὐτῷ, οὕτως ἐμίσουν ὥστε καὶ τὸν πρεσβευτὴν αὐτοῦ πρὸς τὴν αἴτησιν τῆς βοηθείας ἐλθόντα δῆσαι καίπερ βουλευτὴν ὄντα καὶ ὁ Πομπήϊος οὐκ ἄν ποτε τοῦ πολεμιωτάτου, οὗ γε εὖ πράττων οὐκ ἐτετυχήκει, ἱκέτης ὑπέμεινε δυστυχήσας γενέσθαι. Attamen de veritate narrationis dubitare non licet, si nobiscum reputamus ex quo fonte manaverit. Quaecunque enim apud Plutarchum, Appianum, Dionem de fuga et ultimis fatis Pompei miro consensu scripta exstant, ea satis constat ex uno eodemque fonte derivata esse, ex Theophane Mytilenaeo, Pompei fideli amico et fugae comite, qui res huius gestas historia graece conscripta complexus esse videtur. 1) Hic cum deliberationi de perfugio eligendo interesset, acerrime eum dehortatus est, ne se suamque uxorem perfidissimae gentis iniuriis obiceret, et auctor fuit consilii Aegyptum petendi. Nulla causa excogitari potest, quare Theophanem haec de suo finxisse existimemus; neque enim Pompei neque ipsius famae ex ista narratione quidquam gloriae addi potuit; imo vero melius consuluisset fautoris sui existimationi, si absurdum istud consilium oblivioni dedisset. Accedit, quod Caesar quoque Plutarchi verba quodammodo confirmat. B. C. III, 103: »*Quibus cognitis rebus* (scil. defectione Antiochiae et Rhodi) *Pompeius* deposito

---

1) Cf. Strabo, 617.

adeundae Syriae consilio.... *Pelusium pervenit.*" Haec quoque ostendunt Pompeium priusquam Aegypti adeundae consilium cepisset, iter Orientem versus intendere voluisse.

Quodsi igitur hoc testimonium, quippe quod ex fonte haud dubiae auctoritatis petitum sit, in suspicionem vocari non potest, fieri nequit, ut Pompeius cognitum habuerit, legatum ab Orode in vincula esse coniectum. Quis enim sanus in animum inducat, ut credat Pompeium, si tantae contumeliae conscius fuisset, sese suosque committere voluisse genti, quae ne legati quidem nomen religioni habuisset? Profecto alterum utrum statuendum est; aut falsum est, quod Dio profert de legati iniuriis, aut si verum est, — quod nonnisi dubitanter confirmaverim, nam ille solus hoc testatur, et Caesar 1) obiter huius legati mentionem iniciens alto silentio tegit, quid ei ab Orode acciderit, — fama eius rei nondum Pompeio ad aures pervenerat, quo tempore de perfugio quaerendo amicos suos in consilium adhibuit; facile enim apparet illo tempore eum satis sibi persuasum habuisse, Parthos ipsius rebus studere. »At nulla auxilia a Parthis accepit." Non ignoro; quid vero obstat, quominus Orodem si non factis, verbis saltem se illi amicum simulasse censeamus? Ut omnes Orientis gentes et reguli, unde ingens Pompeio in Graecia bellum paranti affluebat vis copiarum et pecuniae, 2) sic Parthus quoque nihil certius habebat quam penes Pompei partes victoriam in bello civili esse futuram. Nam Caesaris nomen illis regionibus parum erat cognitum, dum magnopere ibi Pompeius gloria et auctoritate florebat; vigebat adhuc rerum ante fortiter ab

---

1) Caesar B. C. III, 82: „*magnaque inter eos* (amicos Pompei) *in consilio fuit controversia, oporteretne Lucili Hirri, quod is a Pompeio ad Parthos missus esset, proximis comitiis absentis rationem haberi.*"

2) Cf. Caesar B. C. III. 3.

eo gestarum memoria. Itaque incredibile mihi videtur palam Orodem societatem sibi oblatam repudiasse. Penitus quidem oderat Pompeium et longe aberat ut reapse eum auxiliis adiuvaret, sed nihilo secius ad speciem eius causae sese addixit, et cum eo se facere simulavit, hoc agens, ut inanibus promissis et vanis praetextis sese subtraheret suppetias ferendi officio. Quibus omnibus bene perpensis immerito me iudice Dio Theophanis testis oculati narrationem in dubium vocare studuit, neque igitur veritati repugnat, quod Iustinus Parthos bello civili Pompeianarum partium fuisse contendit, dummodo eo sensu haec verba accipiantur, ut illi speciem Pompeio favendi prae se tulerint. Longe aliter vero iudicandum est de causis, quae secundum hunc auctorem Parthos ad societatem adduxerunt. Addit enim:

»*et propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico iunctam et propter Crassi necem, cuius filium in partibus Caesaris esse audierant, quem ultorem patris victore Caesare futurum non dubitabant.*"

Crassi filius, de quo hic agitur, perobscurus est in historia Romana. Praenomen eius colligitur ex Ciceronis epistola ad Marcum patrem, ad Fam. V. 8, 4: »*Filios tuos ego ambo unice diligo, sed in* Marcum *benevolentia par hoc magis sum Publio deditus, quod me ..... sicut alterum patrem et observat et diligit.*" Caesar eum anno 54 quaestorem misit ad Belgas, 1) et postea ineunte bello civili praefecit Galliae citeriori. 2) Porro nihil de eo constat. Huius nomine Orodem plus sibi a Caesare metuisse quam a Pompeio veri dissimillimum est. Si ad necessitudinis vel affinitatis iura atque officia spectatur, certe ad Pompeium magis quam ad Caesarem pertinebat Cras-

1) Cf. Caesar, B. G. V. 24, 40, 47.
2) Cf. App. B. C. II, 41.

sorum necis ultio, ut qui viduam P. Crassi in matrimonio haberet.

Haud minus inepta est altera causa, quam Iustinus profert. Tantum enim abest, ut bello Mithridatico Parthi amicitiam cum Pompeio contraxerint, ut foedus quod ante iis cum Romanis intercesserat, ab eo ipso tempore extrema Pompei perfidia violatum ac dissolutum esse constet. Quod ut recte intelligatur, operae pretium videtur res Parthicas paullo altius repetere et diligenter inquirere quaenam Parthorum in bello Mithridatico fuerint partes.

Supra verbo iam dixi Mithridate Magno regnante evenisse, ut Parthi in Romanorum notitiam pervenerint. Anno 92 L. Cornelius Sulla ex senatusconsulto in Asiam missus est, ut bellicosa reprimeret Mithridatis Pontici consilia, et Ariobarzanem, regem Cappadociae, qui imperio spoliatus supplex populi Romani fidem imploraverat, in patrium reduceret regnum. Haec mandata feliciter exsecutus usque ad Euphratem progressus est, quo ante illum nemo Romanus pervenerat, ibique ad sese admisit Parthorum legatos a rege Arsace amicitiae petendae causa missos. 1) Posthac nullum, quod sciamus, utriusque populi fuit commercium, donec Lucullus signa Romana in Armenium regnum convertit. De omni quod interiectum est tempore in aterrimis tenebris versamur. Id tantum ex uno alterove testimonio Plutarchi ac Strabonis compertum habemus, regnum tunc et discordiis civilibus et cladibus bello Armenio acceptis in extremum discrimen esse adductum. 2) Auctor harum cladium

1) Cf. Auct. de viris illustribus 75; App. Bellum Mithr. 57; Liv. Epit. 70; Plut. Sulla 5.

2) Cf. Plut. Lucull. 36: *τῆς δὲ Πάρθων δυνάμεως οὐχ ὅση κατὰ Κράσσον ἐφάνη τοσαύτης καὶ κατὰ Λούκουλλον οὔσης οὐδ' ὁμοίως συνεστώσης, ἀλλ' ὑπ' ἐμφυλίων καὶ προσοίκων πολέμων οὐδ' Ἀρμενίους ὑβρίζοντας ἐῤῥωμένης ἀμύνεσθαι.*

fuit Tigranes, qui postquam diu Seleuciae ad aulam Parthicam obses erat retentus, circiter annum 95 1) ut regnum vacans occuparet, in patriam redeundi potestatem impetraverat eo pretio, ut partem sui imperii, ἑβδομήκοντα αὐλῶνες qui apud Strabonem vocantur, 2) Parthis concedere deberet. Ut erat bellicosus et imperii propagandi cupidus, nihil habebat antiquius quam ut graves repeteret poenas ab hoste paterno atque avito. Postquam vires suas confirmarat et adauxerat, bello Parthos persecutus est, et eorum civilibus turbis adiutus re bene gesta non tantum recuperavit omnia quae olim vi coactus tradiderat, sed etiam regione circa Ninum et Arbela vastata, et Gordyene, Atropatene, Mesopotamia occupatis Parthorum potentiam fregit ut nemo alius. 3)

Tot calamitatibus lapsum et penitus afflictum imperium Arsacidarum tandem se erexit et pristinam recepit potentiam per regem Phraätem III, cognomine *Deum* appellatum, qui anno 70 regnum auspicatus est. Prosperum hunc rerum eventum non minus gratiae temporum quam suo consilio ac prudentiae acceptum rettulit, nam annum vix obtinuit regnum, cum bello, quod inter Lucullum et Tigranem exarsit, liberatus est hoste, quo nemo maiores calamitates imperio Parthorum intulerat. Non huius loci est, quaecunque Lucullus et Pompeius in bello Mithridatico strenue gesserunt, ordine enarrare; hos igitur mihi constituo fines, ut quas Phraätes sustinuit partes proferam.

---

1) Anno 95 regnum adeptus (cf. Plut. Lucull. 21) brevi ante ex Parthia dimissus est. Cf. Justinus XXXVIII, 3: „*Erat eo tempore* (i. e. tempore, quo Cappadocibus rex a senatu statuitur Ariobarzanes, circa annum 95) *Tigranes rex Armeniae, obses Parthis ante multum temporis datus, nec olim ab iisdem in regnum paternum remissus.*

2) Strabo 532: *τύχαις δ' ἐχρήσατο ποικίλαις, κατ' ἀρχὰς μὲν γὰρ ὡμήρευσε παρὰ Πάρθοις, ἔπειτα δι' ἐκείνων ἔτυχε καθόδου, λαβόντων μισθὸν ἑβδομήκοντα αὐλῶνας τῆς Ἀρμενίας.*

3) Cf. Plut. Lucull. 14, 21.

Post ingentem quam ad Tigranocerta Armenii acceperunt cladem, Tigranes rebus desperatis summam imperii socero Mithridati permisit. Dum hic per totum regnum delectum agit, novas copias exercet, omnia denique impenso studio molitur, quibus maiore victoriae spe bellum renovari et turpissima clades elui posset, ipse Tigranes quoquoversus mittit legatos, qui gentes Orientis in communem hostem concitarent. Sic ad Parthum quoque nunciis ac litteris missis nihil non pollicitus est, si ipsius partibus adiungere sese vellet; Mesopotamiam, Adiabenen, magnas, quae dicuntur, convalles; quidquid denique Parthici imperii bello ante acquisiverat sese redditurum professus est. 1) Probe enim sciebat Phraätem, ut qui infestissimum in Armenios animum haberet, nisi magnae mercedis spe proposita nequaquam ad belli societatem posse impelli. Verum ne haec quidem satis erant. Spretis speciosis istis condicionibus, sive quod parum fidei iis habebat, seu — quod veri similius est — quia post splendidam illam ad Tigranocerta victoriam Romanus exercitus terrorem ipsi incutiebat, cum Lucullo amicitiam et societatem coniunxit, ea, ut videtur, condicione, ut Euphrates esset finis Parthorum imperii. 2)

Attamen longe aberat ut uberes fructus Lucullus ex hoc foedere perciperet. Non enim amore nominis Romani neque odio Tigranis factum est, ut pactum Phraätes iniret, nec unquam hic in animum potuit inducere, ut

---

1) Memnon (apud Photium, cod. 224, ed. Bek. pag. 239): ὁ δὲ (scil. Tigranes) *πάντα τῷ Μιθριδάτῃ ἐπέτρεπεν ἔν τε τῷ γενναίῳ καὶ συνετῷ τὸ πλέον νέμων αὐτῷ καὶ μᾶλλον ἀνέχειν εἰς τὸν πρὸς Ῥωμαίους πόλεμον δυνάμενῳ. αὐτὸς δὲ πρὸς τὸν Πάρθον Φραάτην διεπρεσβεύετο παραχωρεῖν αὐτῷ τὴν Μεσοποταμίαν καὶ τὴν Ἀδιαβηνὴν καὶ τοὺς μεγάλους αὐλῶνας*. Magnae convalles, de quibus hic agitur, haud dubie eaedem sunt atque *οἱ ἑβδομήκοντα αὐλῶνες*, quas Strabo auctor est olim a Tigrane Parthis esse ademtas.

2) Cf. Dio Cassius 37, 5: *καὶ ὁ μὲν Ἀφράνιος διὰ τῆς Μεσοποταμίας ἐς τὴν Συρίαν παρὰ τὰ συγκείμενα πρὸς τὸν Πάρθον κομιζόμενος ἐπλανήθη.*

una cum sociis Armeniorum imperium subverteret; nam optime intellexit, nil magis esse e re sua quam ut utrique diuturno bello suas inter se vires minuerent et contererent, contra, si Romanos suis opibus adiuvisset, magnum fore periculum, ne illi aliquando, Armenia semel subacta, arma in ipsos adiutores converterent. Ad hanc utilitatis rationem omnia consilia exigens, accessit ad Romanorum causam, utpote id temporis longe praevalentem, sic tamen, ut simul sedulo caveret, ne opem ferendo nimium augeret eorum potentiam. 1)

Iam ex iis, quae secuta sunt, lucide apparet, necessitate compulsum illum Romanis rebus in speciem quidem favisse. Biennio fere post initam societatem fortuna belli, quae tanto opere faverat armis Romanis, prorsus se ad adversariorum partem inclinavit. Dum enim Lucullum, Nisibi, inclyta in urbe Mesopotamiae, hiemantem, gravior quae exarserat militum seditio ne hosti se opponeret impedivit, Mithridates in Pontum irrumpens praeter exspectationem damna accepta refecit, ac mox, C. Triario legato tanta clade affecto »ut eam ad aures imperatoris non ex proelio nuntius, sed ex sermone rumor afferret," 2) eo pervenit, ut non modo totum propemodum regnum recuperaret, verum etiam Cappadociam invaderet et vehementer affligeret. Ea cum esset Romanorum conditio, quae non amplius terrorem inicere posset, ne tum quidem Phraätes, quamvis haud dubie a Lucullo fidei datae commonitus, adduci potuit, ut socii causam sublevaret.

---

1) Cf. Dio Cass. XXXVI. 5. Paulum diverse rem nobis exponit Plutarchus. Si ei credimus, Phraätes foedere cum Romanis pacto in utramque partem inclinans clam a Tigrane Mesopotamiam auxilii praemium petivit; quo cognito Lucullus ira incensus Parthos iam bello erat persecuurus, cum seditione militum longinquam militiam aspernantium hanc expeditionem missam facere coactus est.

2) Cic. de Imp. Cn. Pomp. 9, 25.

Sic semper circumspiciens, quid maxime regno prodesset, callide et constanter id egit ut quamvis nomine Romanorum causae addictus reapse armis abstineret et neutrarum esset partium. In quo consilio diligenter perseverabat, donec anno 66 Pompeio, qui bello praedonum modo confecto etiamtum in Cilicia cum imperio atque exercitu morabatur, a Populo Romano bellum Mithridaticum mandatum est. Statim novus imperator Parthos in causam suam pertrahere conatus, agere coepit de foedere renovando iisdem conditionibus, quibus inter eos ac Lucullum convenerat, 1) quae res feliciter ei cessit. Anxie enim Phraätes bellum adversus Romanos vitabat, neque, quod Lucullus antea impetraverat, id Pompeio potuit denegare, ei praesertim viro, cuius tanta esset nominis fama, tanta rerum ante gestarum gloria, ut iam solus eius adventus animum redderet Romanis et adversariorum impetum cohiberet.

Verum aliud est operam polliceri, aliud eam praestare, nec scio an tunc quoque auxilium detrectaturus fuerit, nisi brevi post foedus ictum, cum dubius haereret quidnam sibi esset faciendum, peropportune tumultu in Armenia orto ad bellum suscipiendum esset permotus.

Tigranes 2) enim, regis Armeniae filius, a patre descierat, sive pertimescens eius crudelitatem, sive, quod regni cupidus longius illum vitam producere graviter ferebat 3); sed bello superatus, nonnullis e primoribus sibi adiunctis, confugit ad Parthos, quos sibi in regno occupando adiumento fore sperabat. Phraätes a precibus eius non alienum se praebuit; benigne supplicem excepit

---

1) Dio XXXVI, 45. Livius C.

2) Cf. Dio 36, 51. App. Mithrid. 104.

3) Iam enim agebat annum septuagesimum quintum, quod colligitur ex Lucian. Longaev. 15: *Τιγράνης, ὁ Ἀρμενίων βασιλεύς, πρὸς ὃν Λεύκουλλος ἐπολέμησε, πέντε καὶ ὀγδοήκοντα ἐτῶν ἐτελεύτα νόσῳ.* (circiter annum 56 ante Chr. n.)

hospitio, et quo arctius eum suae domui devinciret, filiam ei dedit in matrimonium; 1) dein secum reputans, si genero sibi amico et obstricto viam ad regnum munivisset, eadem opera se Pompei gratiam inire et suis commodis servire posse, Armeniam ei expugnare decrevit. Itaque Parthi impetum in Armeniam fecerunt et omnibus quae itineri erant obvia locis subactis usque ad Artaxata progressi sunt. Hac urbe aliquamdiu parum feliciter obsessa — nec mirum, nam Parthos artes urbium oppugnandarum prorsus deficiebant 2) — Phraätes pertaesus negotium et obsidionem diuturnam fore existimans ipse domum se recepit, parte copiarum cum Tigrane ad urbem relicta. Brevi post Phraätis discessum, Tigrane a patre profligato, expeditio ad irritum redacta est, sed supra quam dici potest Pompeius ex discordiis istis civilibus profecit. Primum enim rex Armeniae amicitiam renuntiavit Mithridati, in quem culpam turbarum conferendam esse putaret, eumque quum a Pompeio victus ad Armeniorum fines se contulit, vetuit ne iter persequeretur, deinde, ut filium opem Pompei invocasse et Romanis in Armeniam irrumpentibus ducem se obtulisse cognovit, animum despondens rex et ipse ultro ad hostium castra contendit, ut se suaque omnia permitteret

---

1) Cf. Plut. Pomp. 33: *Καὶ μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἔπεμψε Φραάτης ὁ Πάρθος ἀπαιτῶν μὲν τὸν νεανίσκον* (Tigranem filium) *ὡς αὐτοῦ γαμβρόν.* Nullo iure huc referens, quae a Valerio Maximo IX. 11. traduntur de seditione ab alio Tigranis filio, Sariastro, conflata Vaillantius (pag. 91) opinatur, eodem illo tempore et Tigranen et Sariastrum a patre defecisse, ambosque fratres filiam Phraätis in matrimonium accepisse. Sariaster ille forsan idem fuerit quem Appianus Mithrid. 104 iam ante Tigranis defectionem a patre interfectum commemorat: *παῖδες δ' ἐκ τῆς Μιθριδάτου θυγατρὸς αὐτῷ γεγένηντο, ὧν δύο μὲν αὐτὸς ὁ Τιγράνης ἀνῃρήκει, τὸν μὲν ἐν μάχῃ, πολεμοῦντά οἱ, τὸν δ' ἐν κυνηγεσίοις, αὐτοῦ πεσόντος ἀμελήσαντα, καὶ τὸ διάδημα περιθέμενον ἔτι κειμένου. ὁ δὲ τρίτος, Τιγράνης κτλ.*

2) Dio 40. 29: *ἐκεῖνοι* (Parthi) *ἀδύνατοι πολιορκῆσαί τι ἦσαν.*

Iustinus 41, 2: *Comminus in acie proeliari aut obsessas expugnare urbes nesciunt.*

in fidem et potestatem victoris. Qui cum supplicem eum ad genua sua provolutum conspexit, misericordia commotus surgere eum et diadema capiti reponere iussit et benigna usus oratione affirmavit, non se habere in animo, regno avito eum spoliare. Veniam illi dedit omnium iniuriarum et controversias inter patrem et filium dirimere conatus constituit, ut in Sophene Tigranes adolescens regnaret, pater retineret Armeniam ea lege, ut post eius obitum filius in eam succederet. 1)

Hoc iudicium ut magno regem gaudio affecit, sic filio, qui totum regnum ab imperatore Romano exspectavisset, admodum displicebat. A Pompeio invitatus ad coenam abnuens respondit, se Romanorum alium inventurum, cui carior esse posset. Quibus verbis iratus Pompeius in vincula illum conici et ad triumphum reservari iussit.

Phraätes, ut par erat, permoleste id tulit et semet ipsum non minus quam generum offensum ratus, ad imperatorem misit legatos, qui de contumelia accepta expostularent et captivitatem generi deprecarentur. Sed incassum preces eorum reciderunt; infectis rebus domum reverterunt hoc uno responso ablato, Tigranem magis esse in patris quam in soceri potestate. 2) Postea, ubi Pompeius triumphans in urbem intravit, praeter multos alios reges filia quoque τοῦ βασιλέως βασιλέων cum marito et filiola per triumphum ante currum victoris ducta est.

Itaque sero Phraätes experiendo edoctus est, magno cum malo suo se omisisse quod primis belli annis tam

---

1) Dio Cassius XXXVI, 52 sqq. App. Mithrid. 104, sqq. Plut. Pomp. 33. Appianus tradit praeter Sophenen Gordyenen quoque filio Tigranis attributam fuisse, eoque capto ambas illas regiones pervenisse ad Ariobarzanem, regem Cappadociae: quod de Gordyene aperte falsum est; ea enim manebat causa certaminis inter Tigranem et Phraäten, atque anno post a Pompeio occupata et Tigranis imperio addita est. Cf. Dio Cass. 37, 5. Plut. Pomp. 36.

2) Plut. Pomp. 33.

constanter servaverat consilium. Vera esse apparuit verba, quibus Mithridates ipsum, ne societatem Romanam iniret, dehortatus erat. 1) Quamdiu enim res ita erant comparatae, ut Parthis invitis Romani propositum assequi non possent, ad quidvis concedendum promptos se ostendebant, dummodo ne Parthi arma cum adversariis consociarent; vixdum autem Ponto et Armenia pacatis omnia erant adepti, ad quae consequenda auxilio Parthorum supersedere non poterant, quum vetere suo more et exemplo, operae praestitae immemores, mentem erga socios immutant et quos antea magno studio conciliandos duxerant, iis quam acerrime obnituntur.

Iam statim postero anno novis contumeliis Pompeius patefecit quantopere eos despicatui haberet. Postquam enim Albanis et Iberis in deditionem acceptis rediit in Armeniam Minorem, legati eum convenerunt, quos Phraätes, novis Romanorum victoriis vehementer commotus, miserat eo eonsilio, ut foedus antea ictum confirmaretur. Sed nihil legatione assecutus est. Pompeius, qui propter eximiam, qua in rebus gerendis utebatur, fortunam altos spiritus gerebat, maiores suas opes existimans, quam ut a Parthis detrimentum capere possent, superbe et contumeliose iis respondit et ut Gordyene redderetur poposcit. De hac regione iam ante multos annos inter Armenios Parthosque fuerat controversia, eamque Phraätes, qui minime se pace a Romanis cum Tigrane composita obstrictum putaret, Armeniis eripuerat, dum a Pompeio in Caucaso monte bellum gerebatur. Ad illam postulationem quum legati — nihil enim hac de re in mandatis acceperant — suo arbitratu certi quicquam proferre non sustinerent, litteras iis dedit ad regem perferendas, sed nihilo secius nullo expectato responso con-

1) Cf. Dio Cass. 36, fr. 3. Sallustius, Epistola Mithridatis.

festim Afranium cum copiis ablegavit, qui Parthis expulsis et usque Arbela reiectis effecit, ut Gordyene Tigrani restitueretur. 1)

Non tunc primum Romanus exercitus transiit fines Parthici imperii. Iam semel atque iterum acciderat, ut foederis condicionibus regisque querimoniis fastidiose spretis legati Pompei cum exercitu trans Euphratem in Armeniam et Syriam commearent. His iniuriis tam gravibus atque acerbis in cumulum accessit contumelia, quae nescio an acrius etiam iram regis accenderit.

Nota est res, quantopere Arsacidae, ut omnes fere reges et reguli Asiatici, insano oblectati sint studio titulorum; iam soli nummi hanc stultam ostentationen perspicue demonstrant. Legitur in iis longa series splendidorum cognominum: **ΔΙΚΑΙΟΥ, ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, ΘΕΟΥ, ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, ΜΕΓΑΛΟΥ, ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ,** alia id genus cognomina. Semper et ubique autem primo loco incusa sunt vocabula **ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ** vel **ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ.** 2) Hoc enim titulo, tam superbe significante splendorem et maiestatem imperii eorum, qui nullam auctoritatem supra se positam agnoscerent et reges sibi subiectos haberent, Arsacidae imprimis gloriabantur, ut fieri non posset, quin qui de eo honore detraxisset, implacabile totius gentis odium in se esset conversurus. Neque Romanis alioquin erat moris committere, ut tam levem ob causam imperium suum in discrimen vocarent; contra callide semper in rebus externis hanc rationem sequebantur, ut ubicunque de veris reipublicae commodis ageretur, suam tantum utilitatem tuerentur, nec quicquam exteris nationibus et regibus

1) Cf. Dio Cass. 37, 5; Plut. Pomp. 36.

2) Tigranes Armenius, ut notum est, eundem titulum assumpserat. Postea vel Antonius triumvir, cum in Cleopatrae aula effrenatae luxuriae se daret, et orientalis regis praeberet speciem Cleopatram βασιλίδα βασιλέων, et filios sibi ex ea prognatos βασιλέας βασιλέων appellari iussit. Cf. Dio 49, 41; Plut. Ant. 54.

concederent; honorum autem vocabula libenter iis confirmarent, quin etiam ipsi ultro largirentur. Ita Romani Arsacidas quoque semper nomine *Regis Regum* compellaverant, 1) donec Pompeius, quasi omnia ei essent in eo, ut regem ad bellum lacesseret, eo temeritatis progressus est, ut levem et innoxium titulum ludibrio habens Phraätem per litteras regem simpliciter appellaverit.

Hac contumelia rex non se tantum, sed regni sui dignitatem ac maiestatem violatam censuit. Veritus igitur quorsum haec omnia evaderent, acrius Pompei insolentiae obviam ire decrevit. Per legatos de acceptis omnibus iniuriis questus est, iterumque ei interdixit, ne Euphratem transiret. Ubi ei nihil aeque et moderate responsum est, vere ineunte anni 64 belli fecit initium expeditione contra Tigranem suscepta, quem Pompeio auctore Gordyenen obtinere indigne ferebat.

Eo bello 2) primum fortunam minus secundam expertus, ad extremum victoriam ab hoste rettulit, eumque adeo ursit, ut opem Romani imperatoris invocare cogeretur.

Nimirum manifestius hic ostenderat, quid de Parthis sentiret, quam ut ulla cuiquam posset esse dubitatio de partibus, quas in bello erat suscepturus. Ab eo inde tempore, quo Tigranes in fidem populi Romani erat receptus, nullam quae se obtulerat occasionem neglexit,

---

1) Cf. Dio Cassius 37, 6: *καὶ προσέτι καὶ πρὸς τὴν ἐπίκλησιν αὐτοῦ ὕβρισεν ἧπερ πρός τε τοὺς ἄλλους πάντας ἠγάλλετο καὶ πρὸς Ῥωμαίους, οὗτοί τε αὖ πρὸς ἐκεῖνον ἀεί ποτε ἐκέχρηντο.*

Plut. Pomp. 38: *Οὐδὲ ἠξίωσε τὸν Πάρθον ἀντιγράφων ὥσπερ οἱ λοιποὶ βασιλέα βασιλέων προσαγορεῦσαι.*

Cf. praeterea Dio 66, 11.

2) In errore versatur Dio 37, 6, cum Phraätem in Armeniam invasisse affirmat *μετὰ τοῦ υἱέος αὐτοῦ* (Tigranis) *ᾧ τὴν θυγατέρα ἐδεδώκει.* Ut supra vidimus, (pag. 37.) Tigranis filius catenatus Romam deductus est, ibique etiam post Pompei triumphum remansit, donec anno 58 pecunia corruptus Clodius eum vinculis ereptum dimisit. Cf. Plut. Pomp. 48; Dio 38.

ut palam fieret, quam maxime se Parthos spernere et nihili habere; laedendo, detrectando, inimicitias exercendo non intermisit ad bellum eos lacessere. Hi autem, timore perterriti ne Romanorum exercitui essent impares, acerbissimas contumelias, quamvis inviti, concoquere maluerunt quam belli fortunam experiri; identidem mittunt legatos ad bellum avertendum; tandem aliquando, ubi querimoniis nihil proficitur, arma suscipiunt et socium atque amicum populi Romani aggressi committunt ut Pompeius se lacessitum ad bellum adactum esse profiteri posset. Aderat igitur causa idonea belli inferendi. Quam quum esset nactus, quid aliud ab eo poterat exspectari, nisi ut cupidissime bellum pararet? Sed longe aliter res cecidit. Ut enim antea superbum et arrogantem se praestiterat, sic tunc, ubi res ad arma spectaret, mira animi inconstantia pedem referebat, causabatur bellum Parthicum non sibi esse a populo Romano demandatum, Mithridatem etiamtunc esse in armis, non ad se pertinere controversias quae Tigrani cum Parthis intercederent, contentum sese esse rebus confectis.

Eiusmodi tergiversationes verae, quae eum a bello retineret, causae praetendit; timor scilicet eum incesserat, ne, si Armeniis suppetias ferens longinquae expeditionis pericula adiisset, fortunae experiretur vicissitudinem. Quamvis enim fieri non posset, quin graviter Parthi moverentur fama et belli usu Romani exercitus — cuius rei satis testimonii est, quod nonnisi extremis iniuriis defatigati ausi erant arma suscipere — tamen longe aberat, ut bello impendente animos demitterent. Legati, quos de Tigranis legatione certior factus, Phraätes miserat in Syriam, ubi Pompeius eo tempore degebat, non preces afferebant, sed orationem plenam minarum et criminationum, adeo ut mentem eius simul et pudor et terror occuparent. Intelligere coepit Pompeius se

temere sibi negotia conflasse, nec quicquam magis sua interesse, quam ut illa statim averterentur. Itaque neque Armeniis tulit auxilium, neque in posterum ullas cum Parthis exercebat inimicitias; ablegavit vero tres viros, qui de integro controversias diiudicarent et utriusque regni fines constituerent. Hisce arbitris acceptis litibusque compositis 1) in gratiam redierunt, **ὀργιζόμενος μὲν ὁ Τιγράνης ὅτι τῆς ἐπικουρίας οὐκ ἔτυχε, βουλόμενος δ' ὁ Φραάτης περιεῖναι τὸν Ἀρμένιον ὅπως καὶ συμμάχῳ ποτὲ αὐτῷ εἰ δεηθείη κατὰ τῶν Ῥωμαίων χρήσαιτο.** 2)

Tantum nobis ex veterum auctorum testimoniis constat de Phraätis partibus in bello Mithridatico et de usu

---

1) Mommsen in historia Romana III. 14. Pompeii arbitrium commemorans addit: „*Phraätes liess es sich gefallen, dass ihr Schiedsspruch den Armeniern Korduene und das nördliche Mesopotamien zuwies.*" Quae verba unde sumserit, mihi non liquet. Nullum certe auctorem testem producere potest, nec quicquam est indicii, quod hanc sententiam probabilem reddat. Sed ut haec omittamus, si quid in re tam incerta coniectura est colligendum, magis mihi arridet contrarium atque id, quod a Viro Clarissimo affirmatur. Hoc saltem necesse est, ut arbitrorum iudicium magis in Parthorum, quam in Armeniorum gratiam sit factum. Pompeio, quippe qui bellum a Parthis imminens avertere studeret, omnia erant posita in eo, ut vel magnis concessionibus iram eorum placaret. Quis autem credat, eum non tantum regionem, de qua fuerat controversia, Armeniis attribuisse, sed partem insuper Mesopotamiae ademisse iis, quibuscum in gratiam redire vellet? Non fieri potest, ut Phraätes acquieverit in talibus condicionibus, quibus iniuriae non sublatae sed confirmatae et auctae fuissent.

2) Cf. Dio XXXVII. 6, 7; App. Mithrid. 106; Plut. Pomp. 39. In hisce enarrandis Dionem secutus sum, utpote uberrimum harum rerum testem, nisi forte mirum videtur testimonii ubertatem praedicare, si quis, ceteris auctoribus aut silentibus, aut raptim et negligenter rem tractantibus, paullo maiorem adhibuit diligentiam. Plutarchi in belli Mithridatici descriptione Theophanem Mytilenaeum fontem fuisse primarium veri simillimum est. (Cf. Peter: die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer, pag. 114, sqq.) Haud scio an huius auctoris vestigia deprehendam in capite 39, ubi Plutarchus, quae Pompeio erant dedecori, in laudem vertit et honorem. Eo auctore non metu belli Parthici factum est, ut Pompeius conciliarit Parthos et Armenios, sed ultro hae gentes, controversia cum de finibus intercessisset, arbitrium ei detulerunt. Quod ut credam adduci non possum. Non talem, opinor, Pompeius se praebuerat erga Parthos, ut hi aequum et integrum iudicium ab eo exspectare possent. Nec multum me movent verba, quibus Plutarchus id probare conatur: *μέγα μὲν γὰρ ἦν ὄνομα τῆς δυνάμεως, οὐκ ἔλαττον δὲ τῆς ἀρετῆς καὶ πρᾳότητος*. Pompeii clementiam certe numquam erant experti.

ac consuetudine, quae ei cum Pompeio intercessit, sed sufficit, credo, ut in lucem prodeat ridiculus error Iustini, qui *amicitia perductos* Parthos adversus Caesarem ad Pompeii partes accessisse opinatur.

Non minus falsa sunt, quae Iustinus scribit § 7: *Itaque victis partibus Pompeianis et Cassio et Bruto auxilia adversus Augustum et Antonium misere."* Auxilia, de quibus hic agitur, non missa erant contra Antonium et Octavianum, sed contra Dolabellam, qui, cum Syria provincia Cassio abrogata plebiscito ipsi obvenisset, in Asiam profectus erat eo consilio, ut Cassio devicto expeditionem susciperet in Parthos (Appian. B. C, III 7, 8.) quam iam Caesar extremo vitae tempore impense paraverat. Hoc periculum ut a se averterent, Parthi Cassio opitulati sunt in bello, quod inter eum et Dolabellam de Syria provincia exarsit. Dio 47, 30: **ἄλλοι τε γὰρ τῷ Κασσίῳ καὶ Πάρθοι τινὲς ἐβοήθησαν.** Appian. B. C. IV. 59: **καὶ αὐτῷ** (scil. **τῷ Κασσίῳ**) **τινες καὶ Παρθυαίων ἱπποτοξόται συνεμάχουν, δόξαν ἔχοντι παρὰ τοῖς Παρθυαίοις, ἐξ οὗ Κράσσῳ ταμιεύων ἐμφρονέστερος ἔδοξε τοῦ Κράσσου γενέσθαι.** Dolabella vero superato et interfecto copiae Parthorum amplis muneribus ornati domum reverterunt, iisque Cassius ad opem adversus Octavianum et Antonium petendam legationem adiunxit, cuius principem locum obtinebat T. Labienus, filius T. Labieni, praeclari in bello Gallico Caesaris legati. Orodes autem Labienum detinuit nec quicquam auxilii mittere ausus est. Cf. App. B. C. IV. 63; Dio 48, 24. 1)

In iis quae tradit Iustinus de Labieni et Pacori incursione in Syriam facta et de Ventidii victoriis nihil docet, quin a ceteris auctoribus copiosius sit expositum.

---

1) Ipse sibi obloquitur Appianus, qui B. C. IV, 88 in copiis recensendis quae Bruto et Cassio in proelio Philippensi praesto erant, Parthos quoque enumerat. Plutarchus et Dio de his auxiliis silent.

Similiter, post multam orationem consumptam in luctu et morte Orodis rhetoricis coloribus depingenda, quae verba haud scio an integra ex Trogo descripserit, perpaucis absolvit celeberrimam quam Antonius in Parthos suscepit expeditionem.

Maioris momenti sunt quae sequuntur usque ad § 10 Capitis V de bello civili inter Phraätem et Tiridatem orto, quae quia Dionis narrationi minime conveniunt, accuratiori inquisitioni submittenda sunt. Sed operae pretium est a ipsa adscribere testimonia, si forte eorum contentione aliquid huic argumento lucis afferamus. Haece legimus apud Iustinum XLII, 5: *Qua victoria,* (scilicet ab Antonio anno 36 parta) *insolentior Phraätes redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exsilium a populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Hoc absente regem Parthi Tiridatem quendam constituerant, qui audito adventu Scytharum cum magna amicorum manu ad Caesarem in Hispania bellum tunc temporis gerentem profugit, obsidem Caesari minimum filium Phraätis ferens, quem negligentius custoditum rapuerat. Quo cognito Phraätes legatos statim ad Caesarem mittit, servum suum Tiridatem et filium remitti sibi postulat. Caesar et legatione Phraätis audita et Tiridatis postulatis cognitis (nam et ipse restitui in regnum desiderabat, iuris Romanorum futuram Parthiam affirmans, si eius regnum muneris eorum fuisset) neque Tiridatem dedituram se Parthis dixit, neque adversus Parthos Tiridati auxilia daturum. Nc tamen per omnia nihil a Caesare obtentum videretur, et Phraäti filium sine pretio remisit et Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumptum praeberi iussit.* Contra Dio LI, 18: ὁ δ' οὖν Καῖσαρ ὡς τά τε προειρημένα ἔπραξε (i. e. post Aegypti res constitutas)......

ἔς τε τὴν Ἀσίαν τὸ ἔθνος διὰ τῆς Συρίας ἦλθε κἀνταῦθα παρεχείμασε, τά τε τῶν ὑπηκόων ὡς ἕκαστα καὶ τὰ τῶν Πάρθων ἅμα καθιστάμενος. στασιασάντων γὰρ αὐτῶν καί τινος Τιριδάτου τῷ Φραάτῃ ἐπαναστάντος πρότερον μὲν καὶ ἕως ἔτι τὰ τοῦ Ἀντωνίου καὶ μετὰ τὴν ναυμαχίαν ἀνθειστήκει, οὐχ ὅσον οὐ προσέθετό τῳ αὐτῶν συμμαχίαν αἰτησάντων, ἀλλ' οὐδὲ ἀπεκρίνατο ἄλλο οὐδὲν ἢ ὅτι βουλεύσεται· πρόφασιν μὲν ὡς καὶ περὶ τὴν Αἴγυπτον ἀσχολίαν ἔχων, ἔργῳ δὲ ἵν' ἐκτρυχωθεῖεν ἐν τούτῳ μαχόμενοι πρὸς ἀλλήλους. Τότε δὲ ἐπειδὴ ὁ Ἀντώνιος ἐτελεύτησε, καὶ ἐκείνων ὁ μὲν Τιριδάτης ἡττηθεὶς ἐς τὴν Συρίαν κατέφυγεν, ὁ δὲ Φραάτης κρατήσας πρέσβεις ἔπεμψε, τούτοις τε φιλικῶς ἐχρημάτισε καὶ τῷ Τιριδάτῃ βοηθήσειν μὲν οὐχ ὑπέσχετο, διαιτᾶσθαι δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ ἐπέτρεψεν. υἱόν τέ τινα τοῦ Φραάτου ἐν εὐεργεσίας μέρει παρ' αὐτοῦ λαβών, ἔς τε τὴν Ῥώμην ἀνήγαγε, καὶ ἐν ὁμηρείᾳ ἐποιήσατο.

Ut vides, multum inter utrumque auctorem discrepat cum de loco, tum de tempore, quo Tiridates ad Augustum confugit. Quod Iustinus in Hispania evenisse testatur, id secundum Dionem in Syria actum est; quod hic assignat tempori, quo Octavianus Aegypto pacata et constituta per Syriam in Asiam provinciam rediit, i. e. hiemi ineunti anni 30, id ille refert ad Augusti bellum Cantabricum, quod per annos 26—24 gestum esse constat. Cf. Dio LIII, 25. Itaque sponte haec quaestio sese nobis offert: sitne res una eademque, ab ambobus scriptoribus diverse exposita ita, ut alteruter errasse iudicandus sit, an potius sententia nostra eo inclinare debeat, ut singulorum narratione ad eventum diversum separatumque pertinente forte fortuna alter servaverit quod alter omisit.

Profecto arduum ille negotium suscipit, qui hanc litem diiudicare et discernere aggreditur. Aegre enim desideramus solidum fundamentum, quo freta disputatio nostra ad certum aliquem finem perduci possit. Ipsi con-

troversiae auctores saepius tanta socordia ac negligentia res gestas scripto mandarunt, ut neutri, nisi alia testimonia accedant, statim fides habenda sit. Ceteri scriptores aut omnino tacent de dissensionibus civilibus Parthorum, aut nihil fere dant, quod ad rem nostram conducat. Unus Horatius Flaccus nonnullis trium priorum librorum carminibus res Parthicas illius aetatis tangens, auxilium nobis affert, sed tale auxilium quod fere συκίνην ἐπικουρίαν dixeris. Quamvis igitur parum spei sit, fore ut certo iudicio rem ad liquidum perducamus, operae pretium mihi tamen visum est perpendere et examinare Dionis ac Iustini narrationes, ut experiamur, si forte, non dico certum, at saltem probabile et verisimile aliquid proponere possimus.

Quae disceptatio ut recte et ordine procedat, res paullo altius repetenda est, et necesse mihi videtur, ut historiam rerum in Oriente gestarum breviter exponam ab anno 36, quo Antonius infelicem in Parthos iniit expeditionem.

Nota res est, ut hoc bellum, quamvis susceptum in regem Phraätem, gestum esse non in Parthia ipsa, sed in Media Atropatene, 1) cuius rex Artavasdes Parthis foedere erat iunctus. Antonius enim iam ad Euphratem processerat, cum rex Armeniae Maioris, cui et ipsi Artavasdi nomen erat, magnis pollicitationibus auctor ei fuit, ut itinere averso Medos, quibuscum illi inimicitiae intercesserant, bello persequeretur. Mox autem illius promissa vana et irrita evaserunt. Cum enim ipsi Antonio Phraäta caput Medorum oppugnanti res minus prospere cederet, et Statianus legatus, quem in itinere praesidio impedimentis reliquerat, cum permultis suorum a Parthis

1) Haec regio, quam cave ne confundas cum Medis proprie ita nominatis, quos saeculo praecedente Mithridates I in potestatem suam redegit, (Cf. Just. XLI, 6) Strabonis aetate adhuc libertatem suam felici eventu defendit ab Armeniis et Parthis, inter quos posita erat. Cf. Strab. 523.

Medisque ad internecionem esset occisus, desperans Romanorum victoriam rex Armenius in regnum suum discessit, secum abducens omnia auxilia, quae Antonio suppeditarat, equites ad numerum sedecim milium, Parthico more optime instructos eorumque generi pugnae assuetos. Hoc incommodo nihil Romanis molestius evenire poterat, nam quos ipsi equites habebant, celeritate equitandi barbaris longe inferiores, non satis acriter hostem fugientem insistere valebant, unde factum est ut, sicubi Romani victoriam reportavissent, ea omni careret effectu. Antonius igitur, ut par erat, Artavasdis culpae et proditioni assignabat, quod post multas clades rebus infectis tristem illum in Syriam reditum inchoare erat coactus, nec quicquam certius habebat, quam ut occasione data perfidiae poenas ab illo repeteret. Ne statim in reditu sumeret vindictam prohibuit misera conditio exercitus, qui continuis laboribus, proeliis, morbis graviter erat afflictus. Itaque offensum suum animum quam maxime dissimulans, de solita familiaritate nihil remisit, sperans fore ut omni ultionis suspicione remota minus paratum eum inveniret, cum bellum esset renovaturus.

Postero anno, cum ad alteram expeditionem se compararet, novus socius, neque is spernendus, operam suam professus est. Rex enim Medorum Phraäti propter iniustam praedae divisionem succensens timensque ne regno ab eo privaretur, legatis missis Antonii amicitiam ambiebat, atque ad bellum Parthicum societatem suam offerebat. Quam ille eo cupidius arripuit, quod sic quidem id sibi adiunxit, cuius inopia imprimis fuerat in causa, quominus anno priore hostem devicisset, nempe validum equitatum, 1) qui Parthorum copiis pares dici poterant.

---

1) Cf. Strabo 523: *ἔστι δ' οὐ μικρὰ κατὰ τὴν δύναμιν* (scil. *ἡ Ἀτροπάτιος Μηδία*) *ὥς φησιν Ἀπολλωνίδης, ἥ γε καὶ μυρίους ἱππέας δύναται παρέχεσθαι, πεζῶν δὲ τέτταρας μυριάδας.*

Itaque ad magnam spem erectus ex Aegypto abiit, ut poenis, si fieri posset, a perfidis Armeniis sumptis, ad Araxem flumen cum Medo iunctus, denuo bellum Parthicum inferret. Verum ne haec quidem expeditio ad finem optatum perducta est. Nam medio itinere per litteras certior est factus, Octaviam uxorem Roma sibi obviam profectam, Athenas iam pervenisse, pecuniam, milites, multa, quae bello usui essent, dona afferentem, eamque percontari quonam illa munera missa vellet. Id ubi cognovit Cleopatra, quae honoris causa Antonium prosecuta adhuc ad exercitum morabatur, nullas non artes, fallacias, machinas, quas ferax aemulae feminae ingenium excogitare potest, adhibuit, ut ab uxore illum abalienaret; ac tanta erat vis, quae hisce illecebris in miserum virum exercebatur, ut Cleopatrae plagis prorsus irretitus Alexandriam rediret, bello Parthico in annum proximum dilato, idque, ut Plutarchi verba afferam: *καίπερ ἐν στάσει τῶν Παρθικῶν εἶναι λεγομένων.* 1) Iam Plutarchi auctoritas, cuius vita Antonii, in rebus Parthicis, magna fide sese commendat, mihi sufficit, ut initium discordiarum ponam in anno 35, non anno 31, quod viri docti statuunt male intellecto loco Dionis LI, 18: *καί τινος Τιριδάτου τῷ Φραάτῃ ἐπαναστάντος, πρότερον μέν, καὶ ἕως ἔτι τὰ τοῦ Ἀντωνίου καὶ μετὰ τὴν ναυμαχίαν ἀνθειστήκει,* quae verba nihil aliud significant, nisi iam ante pugnae Actiacae tempus seditionem in Phraätem exortam esse. Accedit alia res, quae Plutarchi testimonium eximie confirmat. Post splendidas, quibus de Antonio potiti erant, victorias Parthi praeter morem suum quieti domi manebant, nec operae pretium iudicare videbantur invadere in imperium Romanum et quaestus praedasque facere ex terrore et tumultu quem ubique adversariis iniecerant. Quis est quin vehementer

1) Plut. Ant. 53.

admiretur ignavam desidiam eorum, qui post Crassi caedem per complures deinceps annos Euphratem transierant et arma sua longe lateque tulerant in Syriae Asiaeque fines? Quid, quod Phraätes, cum anno post Antonius totam Armeniam in potestatem redegit, regemque Artavasdem comprehendit, ne tum quidem Romanis obsistere, et socio suo auxilio venire sustinuit? Haec omnia, quae explicationem vix habent, nisi iam tum apud Parthos bellum intestinum exarsisse statueris, me inducunt, ut Plutarchi auctoritate confisus profitear, iam anno 35 Tiridaten, idque haud dubie ab Antonio et Artavasde Medo instigatum et adiutum, seditionem in Phraätem concitasse. 1)

Has discordias egregie Antonius in rem suam convertit. Anno 34 sub initium veris in Armeniam contendit. 2) Rege specie amicitiae in castra pertracto, totam regionem partim vi, partim deditione, suae facit potestatis, et filio suo Alexandro, ex Cleopatra prognato, tradit regendam. Filius Artavasdis, Artaxias, 3) a popularibus in patris locum suffectus, hostibus se opponit, sed frustra; proelio congressus superatur et ad Phraätem confugit. Ipse Artavasdes cum uxore ac liberis in Aegyptum abreptus, ante currum victoris ductus est in triumpho, quem de Armenia Antonius Alexandriae egit, ibique paucis annis post iussu Cleopatrae ultimum subiit supplicium.

Postero anno Romani iterum arma in Orientem converterunt. Ne autem turbis Parthicis in Tiridatis gratiam intercederent, vetuerunt in dies crescentes triumvirorum simultates, quae iam ad apertum discidium et bellum

1) Iustini quoque verba: „*qua victoria insolentior Phraätes redditus,* cum multa crudeliter consuleret, in exilium a populo suo pellitur," innuere mihi videntur, secundum ipsum Trogum Pompeium haud ita multo post cladem Antonii Parthos dissensionis fecisse initium.

2) Dio XLIX. 33 sqq. Plut. Ant. 50; Vell. II. 82.

3) Hoc nomen habet apud Augustum in Mon. Ancyr. V. 25; Tac. Annal. II, 2. Ioseph. A. J. XV. 4. Dio autem eum Artaxen nominat. Cf. Dio XLIX, 39; LI, 16.

spectare coeperunt. Quapropter minus commodum existimans longinquae expeditionis discrimina tentare Antonius non ultra Araxen flumen progressus est ac satis habuit societate cum Artavasde rege Medorum confirmata nova sibi parare equitatus subsidia ad bellum, quod cum Octaviano erat gesturus. 1) Itaque pacto inter eos convenit, ut Antonius Medo contra Parthos, Medus Antonio adversus Caesarem auxilia praeberent, ut Romani partem Armeniae traderent Artavasdi, hic autem redderet signa militaria quae clade Statiani 2) fuerant amissa, denique ut rex Iotapen filiam suam, pignus amicitiae, Alexandro Antonii filio collocaret in matrimonium. His rebus constitutis Armeniae a Phraäte nihil periculi impendere iudicans Antonius in Ioniam properavit, ut totum se conferret ad bellum contra Caesarem parandum. Sed opinio eum fefellit. Initio quidem Phraätes cum a Tiridate, tum a Medis districtus, nihil movebat, nec quicquam ad Artaxiam in regnum paternum restituendum agere valebat; postquam vero Antonius in rebus gerendis minus prospera fortuna usus, copias suas ex Media revocavit, nec tamen reddidit auxilia, quae ipse mutua acceperat, rerum status prorsus mutatus est. Ab eo inde tempore Artavasdes non amplius vim hostium sustinere poterat; proelio superatus ipse captus est et Media cessit in potestatem victoris. Armeniam quoque Phraätes invasit eamque recuperatam reddidit regi legitimo Artaxiae, qui regnum suum auspicatus est caede omnium Romanorum, qui ibi reliqui erant. Rex Medorum nescio quo modo in libertatem restitutus anno 30 ad Caesarem confugit et ab eo impetravit, ut filia Iotape, quam ante Antonii filio desponsaverat, sibi redderetur. Cf Dio LI. 16.

Iam primum negandum non est, huic rerum ordi-

1) Plut. Ant. LIII; Dio XLIX. 44.

2) Vide dissertationis pag. 46.

ni optime congruere, quae Dio de Tiridatis fuga exposuerit. Etenim quid magis consentaneum est, quam ut Tiridates, quippe quem, Antonio et Artavasde sociis devictis, vires ad bellum contra Phraätem sustentandum deficerent, eo fere tempore, quo rex Medorum, superatus et in exsilium pulsus sit? Eodem ducit et alius locus Dionis LV, 10, ubi agens de rebus a C. Caesare anno 2 p. Chr. n. in Armenia gestis dicit: „οἵ γε μὴν Ἀρμένιοι.... ὅμως ἐπειδὴ Ἀριοβαρζάνει τινὶ Μήδῳ, „ὅς *π ο τ ε μ ε τ ὰ τ ο ῦ Τ ι ρ ι δ ά τ ο υ π ρ ὸ ς τ ο ὺ ς Ῥ ω μ α ί ο υ ς ἀ φ ῖ κ τ ο*, παρεδίδοντο ἐπολέμησαν. Quisnam Ariobarzanes ille fuerit patet ex Monumento Ancyrano V. 28: »*Et eandem gentem postea desciscentem et rebellantem* »*domitam per Caium filium* A r i o b a r z a n i, r e g i s M e- »d o r u m A r t a v a s d i s f i l i o, *regendam tradidi, et post* »*eius mortem filio eius Artavasdi.*" Ariobarzanes igitur si filius fuit Artavasdis, nonne eo tempore cum Tiridate eum ad Augustum confugisse par est, quo pater regnum suum amisisset? Verum aliud superest, quod maius etiam pondus Dionis narrationi affert. Nam libro LI. 20 commemorans initio anni 29 Romam pervenisse litteras ab Octaviano de rebus Parthicis ad senatum conscriptas accurate enumerat honores, quibus patres Augustum in laeti huius nuntii gratiam exornaverunt. Cui testimonio fides habenda est; haud improbabile enim iudico, Dionem hoc senatusconsultum petivisse ex fonte summae auctoritatis, ad quem illi, utpote viro consulari, facile aditus patebat, nempe ex ipsis actis senatus, quae saepius eum ad manum habuisse satis constat. 1)

Quodsi igitur certum exploratumque haberemus, semel tantum Tiridatem se ad Augustum contulisse, nullus equidem dubitarem, quin solus Dio verum nobis rettulerit; tam apte omnia quadrant, si huius narrationem

1) Cf. Wilmans: De Dionis Cassii fontibus et auctoritate, pag. 21.

cum rerum Orientis statu contuleris. Quandoquidem vero illud minime constat, nunc iam alteram partem nostri propositi aggrediamur, et Iustini verbis in disquisitionem vocatis videamus, num forte ab aliis scriptoribus quaedam exhibeantur, quae huius quoque auctoritatem confirment. Ut enim sit quantumvis verum et omni dubio vacuum, anno 30 Phraätem finem bello intestino imposuisse, non necessario inde sequitur, ut omnis sit fides alteri testi abiudicanda; fieri potest ut Tiridates, postquam in Syriam ad Augustum se contulit, certamine renovato in regnum Parthorum restitutus sit, et deinde anno 25 iterum a Phraäte adiuvantibus Scythis superatus »*ad Caesarem in Hispania bellum tunc temporis gerentem profugerit.*"

Ex quo Lachmannus in hac lite discernenda sententiam tulit pro Dione, res iudicata esse videtur, nec quisquam amplius Iustini habet rationem. 1) Carolus Franke in Fastis Horatianis pag. 165 Horatii carmen XVI libri II adscripserat anno 25, idque ad Iustini auctoritatem provocans. Quod iudicium in epistola critica quae operi laudato addita est, hoc modo Lachmannus impugnat: »*Concedes, ni fallor, aliquot annis prius scribi potuisse* »*quis sub arcto rex gelidae metuatur orae, quid Tiridatem terreat.*" *Illum enim sub arcto regem credo tibi eorum esse Scytharum quorum auxilio Iustinus* XLII. 5, 5. *Phraätem in regnum restitutum esse scribit, quos Tanaitas alio carmine* (III. 29) *poeta significat; sed de tempore te Iustinus decepit, qui cum deberet dicere cum Dione* LI, 18 *in Asiam ad Caesarem profugisse Tiridatem, perverse* »*in Hispania bellum tunc temporis gerentem*" *somniavit, quod videbat Trogum subiecisse* (§ 10) *quae* »post haec

1) Unus, quod sciam, excipiendus est Hermann Schütz (Q. Horatius Flaccus. Oden und Epoden) qui pag. 101 res Parthicas exponens, Iustini narrationem probat, sed nullas sententiae reddit rationes.

finito Hispaniensi bello" *gesta essent.*" In eandem sententiam iverunt *Estré* (Horatiana prosopographeia pag. 224); *Orellius* (in editione Horatii I. pag. 144); *Mommsenus* (Monum. Ancyr. pag. 91). — Quamvis igitur verear ne sint qui causam me agere desperatam opinentur, tamen in medium proferre liceat quae mihi Lachmanni iudicio repugnare videntur.

Iam primum, quod Vir Clarissimus originem Iustini erroris detegere studet, id, me quidem iudice, praepostere agit, nam irritus est labor demonstrare qua via quis in errorem induci potuerit, nisi prius revera illum errasse certis argumentis cognitum habebis; et hanc partem disquisitionis, quae antecedere debebat, prorsus praetermisit. Haud scio an aequius de Iustini narratione tulisset iudicium, si primum, quae ceteri auctores de iisdem rebus scripto mandarunt, excussisset. Quod non sic intelligi velim, quasi Iustinum in discordiis Parthorum exponendis omni errore immunem iudicem; contrarium mox apparebit; id tantum volo immerito Lachmannum fidem abnegasse nostro auctori tradenti Tiridatis fugam in id tempus incidisse, quo Augustus bellum gereret in Hispania.

Hoc ut probabile reddam, ipsum Dionem testem producam, qui libro LIII. 33, cum res gestas enarrat anni 23, iterum Parthica attingit hisce verbis: ***ἐπειδὴ ὁ μὲν Τιριδάτης αὐτὸς, παρὰ δὲ δὴ τοῦ Φραάτου πρέσβεις, ἐφ' οἷς ἀντενεκάλουν ἀλλήλοις ἀφίκοντο, ἐς τὴν βουλὴν αὐτοὺς ἐσήγαγε, καὶ μετὰ τοῦτ' ἐπιτραπεὶς παρ' αὐτῆς τὴν διάγνωσιν τὸν μὲν Τιριδάτην τῷ Φραάτῃ οὐκ ἐξέδωκε, τὸν δ' υἱὸν αὐτῷ, ὅν πρότερον παρ' ἐκείνου λαβὼν εἶχεν, ἀπέπεμψεν ἐπὶ τῷ τούς τε αἰχμαλώτους καὶ τὰ σημεῖα τὰ στρατιωτικὰ τὰ ἔν τε τῇ τοῦ Κράσσου καὶ ἐν τῇ τοῦ Ἀντωνίου συμφορᾷ ἁλόντα κομίσασθαι.*** Hoc testimonium egregie, opinor, Iustini verbis convenit. Augusti de litibus Parthorum arbitrium, de quo uterque

agit, quin unam eandemque rem respiciat, non dubium est. Congruenter enim tradunt, Augustum filium Phraäti remisisse et legatis pro responso dedisse, non se Tiridaten dediturum Parthis, neque adversus Parthos Tiridati auxilia daturum. Neque temporis ratio obstat. Augustum ex bello Cantabrico domum revertisse constat anno 24 (Cf. Dio LIII, 28). Quodsi igitur Tiridaten sive anno 25 exeunte, sive sub initium anni 24 brevi ante Augusti discessum in Hispaniam venisse cum Iustino statuimus, egregie huic accommodatum est, quod Dio tradit, anno post, quum Phraätis quoque legati Romam venissent, Senatum litis arbitrium Augusto permisisse. Quod temporis intervallum si cui forte longius videatur, illum admonere satis erit, Caesarem haud multo post bellum Cantabricum in morbum gravem et periculosum esse delapsum, ex quo vix aegreque, Antonio Musa curante, assurrexerit (Dio 53, 31; Suet. Aug. 81.); fieri potest, ut hoc ei fuerit in mora, quominus prius legatis dederit senatum. Hic forsitan dixerit aliquis: »nondum causam tuam obtinuisti; concedo quidem hoc de legatione Parthorum consensu nonnihil momenti Iustini testimonio accedere, neque in dubium esse vocandum, quod Tiridates iterum opem Augusti imploraverit, sed unum adhuc restat tibi ut demonstres, quo iure fide dignus tibi videatur Iustinus referens *anno 25 Tiridatem ab adversario regno esse expulsum.* Hoc si vere ab eo traditum esset, necessario eo sententia adduceretur, ut Tiridates post annum 30 bello renovato in regnum restitutus sit, quod ne credamus obest Dio, apud quem nihil de bello civili redintegrato legitur." Haud infitias iverim Dionem id praetermittere; at quid tandem hoc ad rem? An auctoris sexcentis locis pessimae socordiae convicti silentium sufficit, ut alieno diserto testimonio omnis auctoritas sit abiudicanda? Fac autem, revera

Justinum errasse; fac, inde ab anno 30 Tiridatem in Syria quievisse, Phraätem in otio ac pace solium Arsacidarum occupatum habuisse, nonne statim animum subit cogitatio, qui factum sit, ut Phraätes legatos Romam miserit? Ut filium ante septem annos sibi abreptum repeteret? Cur autem post tantum temporis intervallum? Siquidem usque nullis turbis civilibus tentatus est, nihil obstabat, ne prius reposceret obsidem, non ultro datum, sed dolo malo patri surreptum.

Haec, tam mira, tam implicata, quodammodo expediri poterunt, si fide utrique auctori tributa, bis Tiridatem ex Parthia fugisse statuerimus. Quam viam si insistimus, hic rerum ordo evadit:

Anno 36: Misera expeditio Antonii.

Anno 35. »*Cum Phraätes victoria insolentior redditus multa crudeliter consuleret*" dissensiones civiles erumpunt. Rex ei opponitur Tiridates quidam, ab Artavasde Medo et Antonio sustentatus.

Anno 30. Ruina Antonii et Artavasdis obruitur etiam Tiridatis causa. In exsilium pulsus in Syriam se confert ad Augustum, ut opem eius imploret. Eodem veniunt et legati Phraätis, qui, Tiridates ut tradatur, postulent. Neuter voti fit compos; nihil enim minus erat ex animo Augusti, quam ut controversiis Arsacidarum se interponeret eo potissimum tempore, quo alia et graviora negotia eum manerent, quo civitas post tot annorum discordias civiles corrupta et disturbata constituenda erat et emendanda. Praeterea, quae erat eximia eius prudentia »*proelium aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cum maior emolumenti spes quam damni metus ostenderetur,*" 1), et belli Parthici eventum admodum esse dubium atque incertum, id iam satis superque Crassi et Antonii exemplum palam fecerat.

1) Suet. Aug. 25.

Cum igitur a Tiridate in regnum restituendo prorsus esset alienus, nullo pacto tamen adduci poterat, ut supplicem tradendo iura hospitii violaret, satis intelligens, quo magis Parthi otio ac quiete fruerentur, eo acrius eos fines Romanos infestaturos, Tiridate autem de medio sublato dissensiones Parthorum plane fore exstinctas. Tiridaten ergo secum retinuit, domiciliumque ei in Syria concessit, non ut placidam ibi et tranquillam vitam transigeret, verum ut inde turbas et motus in patria finitima ciere pergeret, et, si fieri posset, occasione data, regiam recuperaret dignitatem. Phraätis filius a Caesare deductus est Romam, ut obsidis ibi esset loco.

Anno 29 *ineunte* Romam afferuntur Caesaris litterae de rebus Parthicis, haud dubie impense auctae et exornatae; nam non si tota Parthia manus dedisset, ampliores honores a .senatu Caesari tribui potuissent.

Aliquanto post 1) Tiridates a factione sua revocatus iterum belli intestini facem accendisse videtur.

Anno 25 Postquam magno tempore finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigarat, Scytharum maximo auxilio Phraätes in regnum restituitur, quorum cognito adventu Tiridates ad Caesarem in Hispaniam profugit.

Anno 24 Parthorum regem secum adducens Augustus Romam revertitur. Eodem Phraätes mittit legatos, qui Tiridaten et filium suum remitti sibi postulent. Hos

Anno 23 Augustus, ut ex gravi morbo recreatus est, introducit in senatum, qui litis diiudicationem integram ei relinquit. Hac potestate sibi permissa Tiridaten nequaquam tradit, filium vero Phraäti remittit ea lege, ut pro eo recuperet captivos signaque militaria Crassi et Antonii cladibus amissa. Cui conditioni a rege satisfactum non est, donec

1) Infra (pag. 67.) docebimus, id verisimiliter factum esse circa anni 28 initium.

Anno 20, veritus ne Augustus id temporis in Asia degens bellum sibi inferret, tandem aliquando captivis signisque Crassianis remittendis pactum exsecutus est. 1)

Nunc iam videamus, an, qui solus praeter Dionem et Iustinum res Parthicas illius aetatis attigit, Horatius rerum ordinem a me propositum non dico stabiliat, at saltem veri specie induat. Quem cum in auxilium voco, minime me praeterit quantopere sit res lubrica et ambigua in rebus historicis argumenta ex tali fonte petere. Primum enim Horatii carmina ita sunt comparata, ut saepius ipsa historiae lucem desiderent, quam ceteris rerum scriptoribus lucem afferre possint. Haud unus locus adest, ex quo pateat, illum exempla ex historia petentem, vel ad res gestas suae aetatis alludentem, non id semper egisse, ut quod certum exploratumque esset sequeretur; interdum a veritate discessit, saepius poetarum more id sibi sumpsit, ut res gestas magnifice exornaret et amplificaret, ut plus inde laudis ac honoris ad Augustum ceterosque fautores pervenire posset. Quae vitia apparent etiam iis locis, quibus Parthica tangit. Defungar exemplo. In carmine II, 9, 18—22 poeta dicit:

Et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vertices.

Attamen historia discimus, numquam Parthos ab Augusto gentibus victis esse additos.

1) Hac de re vide Dionem LIV, 8; Suet. Aug. 21, Tib. 9; Vell. II, 91; Liv. CXXXIX; Mon. Ancyr. V, 40; Strabonem 748, qui tamen in eo fallitur, ut pro signis militaribus τὰ τρόπαια dicat recepta esse. Praeterea confer poetas Ovidium (Trist. II, 227; Fast. VI, 467); Horat. (Ep. I, 18, 56; Carm. IV, 15, 6.) Propert. (Eleg. III, 1, 13; IV. 3; IV, 5, 48; IV, 11; V, 6, 79. sqq). qui omnes hunc eventum effusis laudibus celebrant, tamquam iam actum esset de Parthorum imperio. Aetatem tulerunt nummi qui hanc inscriptionem incusam habent: SIGNIS PARTHICIS RECEPTIS.

Sic in Tiberii gratiam poeta scripsit (Ep. I, 12, 25, sqq):

Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; ius imperiumque Phraätes
Caesaris accepit genibus minor.

Quasi Phraätes, cum signa et captivos remitteret, simul quoque in ius dicionemque Romanorum esset receptus.

Gravius adhuc peccat contra fidem historicam in carmine III, 6, 9:

Iam bis Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.

Hi versus nullo modo cum historia in concordiam redigi possunt. Nempe quinam sunt non auspicati illi Romanorum impetus? Scholiastas Acronem, Porphyrionem, Cruquianum si audis, poeta respicit expeditionem Crassianam, et cladem Decidii Saxae, Antonii in Syria legati, qui anno 40 a Pacoro regis Orodis filio, victus et interemptus est. Esto, ut revera ad duas hasce clades spectaverit poeta; quam mire, quam perperam sententiam suam expressit! Quem ducem Parthorum omnes historici *Surenam* appellant, hunc noster *Monaesem* nominat 1) Verum haec discrepantia Viros Doctissimos non deterret, quominus erroris crimen ab Horatio repellant; expiscantur locum aliquem ex Zosimo, qui in libro III cap. 15 dicit: **Σουρῆνας...... ἀρχῆς· δὲ τοῦτο παρὰ Πέρσαις ὄνομα** — et iam res iis luce clarior videtur, iam summa concordia Horatio cum ceteris intercedit. Nempe utrumque nomen uni eidemque viro convenit: *Monaeses* pro-

1) Peerlkampius hos versus Horatio abiudicat: „*nomen Monaesis in strage Crassi tam obscurum est, ut Grammatico suffecisse videatur, si haberet modo nomen aliquod metro conveniens, nec in rebus Parthicis plane incognitum.*"

prium fuit nomen, *Surena* autem nomen magistratus sive dignitatis, illum designans, qui proximum a rege locum obtineret. — Ut omittam, Zosimum *res suae aetatis* exponere; quid, obsecro, unum testimonium scriptoris multo aetate posterioris ad singularem Livii, Strabonis, Plutarchi, Dionis consensum, qui omnes ei Surenae nomen tribuunt? 1)

Aliam viam ingreditur Th. Mommsen (Res Gestae Divi Augusti, pag. 85) cogitans non de Crassi, sed de Antonii clade. Commemoratur enim a Plutarcho in vita Antonii (cap. 37.) Monaeses quidam, qui anno 37 Phraätis crudelitatem effugiens ad Antonium se contulit, eique se ducis operam in bello Parthico praestiturum spopondit. Ab Antonio splendide acceptus et Parthorum rex futurus designatus mox, cum Phraätes sibi metuens eum revocaret, in patriam revertit. Hunc bello anni 36 interfuisse perspicuum est ex Plutarcho (Anton. 46.) narrante, Monaesem Antonio in Syriam redeunti bene meritorum gratias rettulisse. At huic interpretationi obstat, quod a nullo scriptore Monaeses *dux Parthorum* contra Antonium commemoratur, neque probabile duco, Phraätem summam rerum commisisse ei viro, qui brevi ante luculento exemplo dubiam suam fidem ostendisset.

Acrius historiae repugnat, quod *Pacorus* non auspicatos impetus contudisse dicitur. Audi modo Strabonem 748: ***οἱ δὲ Παρθυαῖοι καὶ πρότερον μὲν ἐφρόντιζον τῆς πρὸς Ῥωμαίους φιλίας, τὸν δὲ ἄρξαντα πολέμου Κράσσον ἠμύναντο· καὶ αὐτοὶ ἄρξαντες τῆς μάχης τῶν ἴσων ἔτυχον, ἡνίκα ἔπεμψαν ἐπὶ τὴν Ἀσίαν Πάκορον.*** Similiter ceteri auctores 2) ad unum omnes declarant, impetum non a Romanis, sed ab ipso Pacoro ac Labieno esse profectum.

---

1) Cf. Liv. CVI; Strabo 747; Plut. in vita Crassi; Dio XL, 16.

2) Plut. Ant. 30; Vell. II, 78; Dio XLIX, 20 sqq. Liv. CXXVII, ut ceteros peioris notae scriptores omittam.

Si igitur hunc versum Horatii manui debemus, res Parthicas parum illum cognitas habuisse, eiusque testimonia nonnisi caute et circumspecte adhibenda esse, iure statuere licet.

Huc accedit alia difficultas, quae de carminum pretio historico multum derogari iubet. Haud raro enim aetatis indicia aut prorsus desunt, aut ita sunt dubia et fluxa, ut, siquid aliud, arduum sit, certum aliquod tempus singulis carminibus definire; noli igitur mirari, quod diversissima quaeque de uno eodemque carmine a singulis interpretibus prolata sunt.

De magno numero odarum, quibus res Parthicae commemorantur, si missa facimus omnia, quae nullum certum factum respiciant, vel in nullum tempus definitum cadant, supersunt perpauca, quae in iudicium vocari possunt, sed ea mirifice confirmant rerum ordinem a me propositum.

Initium faciam a carmine II, 9, vss. 18—22.

Et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vertices,
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

Quamvis, ut supra vidimus, stulta sit magniloquentia, quod Horatius Parthos gentibus additos victis cantat, tamen singularis aliqua res facta esse debet, quae poetae talis exaggerationis ansam dederit. Ad res gestas anni 20 referri non potest, quoniam carminum libros tres priores tunc iam confectos esse et in lucem prodiisse abunde constat. 1) Neque magis *novis Augusti tropaeis*

---

1) Vide Franke, Fasti Horat. pag. 54, sqq.

poeta spectare poterat ad annum 30; etenim non ante annum 27 Octavianus Augusti cognomen assumpsit. 1) Nihil igitur restat, nisi ut, Iustino fidem habentes, cum Franke (Fast. Horat. 179, sqq.) cogitemus de anno 25 »*quo Parthorum rex Tiridates cum magna amicorum manu ad Caesarem in Hispania bellum tunc temporis gerentem profugit.*" Hic nuntius Romam allatus eo quidem tempore, quo Augustus *nova tropaea* ex bello Cantabrico adeptus in urbe exspectabatur, poetam permovere potuit, ut cupide arripiens, quaecumque potenti fautori grata acceptaque esse credebat, magnifice laudes eius tamquam Parthorum victoris celebraret.

Hoc carmine igitur Iustini testimonio nonnihil additur auctoritatis, sed magis etiam stabilitur versibus quos legis in ode secunda libri secundi:

Redditum Cyri solio Phraatem
Dissidens plebi numero beatorum
Eximit virtus populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus, sqq.

In quod carmen aptius, me quidem iudice, convenit Tiridatis clades et fuga in Hispaniam, a Iustino memorata, quam res gestae anni 30. Ad annum 30 ne haec referantur, obstat, quod Dio LI, 18 Parthorum dissensionum narrationi nullam Phraätis *ex regno expulsi* mentionem iniicit. Contra ad Iustini testimonium optime quadrant. Idem argumentum mihi sufficit, ut carmen I. 26:

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, quis sub Arcto

1) Cf. Dio. LIII, 16; Suet. Aug. 7. — Monum. Ancyr. VI, 13: In consulatu sexto et septimo, *postquam bella civilia exstinxeram per consensum universorum potitus rerum omnium, rempublicam ex mea potestate in senatus populique Romani arbitrium transtuli. Quo pro merito meo senatusconsulto Augustus appellatus sum.*

Rex gelidae metuatur orae,
Quid Tiridaten terreat, unice
Securus.

Lachmanno invito conditum esse credam anno 26 vel 25, brevi antequam de Tiridatis fuga nuntius Romam perlatus est, siquidem recte *rex gelidae orae* intelligatur rex Scytharum, a quo, quod societatem cum Phraäte inierat, Tiridates causam habebat, cur sibi metueret. Apud Dionem autem de Scytharum auxilio altum silentium. Aliter sentit Hermann Schütz (Horatius, Oden und Epoden.) pag. 101.: »*die Erwägung, dass III, 8, 18 in ganz ähnlicher Weise wie hier mit den Parthischen Thronstreitigkeiten Cotiso, der König der Dacier, zusammengestellt wird, welche schon 29 von M. Crassus zugleich mit den Bastarnen, Geten u. a. Donauvölkern besiegt wurden, scheint mehr* für das J. 29 v. Chr. *zu sprechen.*" Concedo Scytharum commemorationem interdum admodum esse ambiguam, quod non modo gentes, quae trans Tanaim et ad mare Caspium habitabant, ita designantur, verum etiam Istri accolae, Getae et Daci, 1) ut, cum scriptores Scytharum nomine utuntur, utros intelligant, Europaeos an Asianos, saepe ambigas. Hic tamen dubitationis locus non datur. Verba: »*ora gelida sub Arcto*" magis me quidem iudice conveniunt in Tanais, quam in Istri accolas. Intelliguntur igitur Scythae Asiani, qui Phraätem in regnum restituisse a Iustino dicuntur. Simili modo Parthos Scythasque Tanaitas coniunctos invenies III, 29, 25.:

Times
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

1) Dio LI, 22: *ταῦτα τε οὖν ἐςήχθη καὶ ἀθρόον πρὸς ἀλλήλους Δάκοι τε καὶ Σουῆβοι ἐμαχέσαντο. εἰσὶ δὲ οὗτοι μὲν Κελτοί, ἐκεῖνοι δὲ δὴ Σκύθαι τρόπον τινά· καὶ οἱ μὲν πέραν τοῦ Ῥήνου..... οἱ δὲ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ Ἴστρου νέμονται.*

Reliquum est, ut in quaestionem vocemus oden octavam libri tertii, qua poeta Maecenatem ad diem festum secum celebrandum invitat, eumque, ut animo veniat hilari et a curis publicis expedito, hisce verbis alloquitur (versibus 17—25):

Mitte civiles super urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis.
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Hoc carmen vulgo interpretes assignant anno 29 paullo ante calendas Martias. 1) Versu 17 scilicet respici putant Maecenatis urbis praefecturam, quo munere bis ille functus est, primum anno 36, 2) dum Octavianus bellum cum Sext. Pompeio gerebat, iterumque belli Actiaci temporibus per annos 31—29. 3) Dacorum et Scytharum commemoratio pertinere iis videtur ad bellum, quo M. Licinius Crassus, Macedoniae proconsul, anno 29 eas gentes persecutus est. Parthorum 4) denique dis-

1) Vide epistolam criticam Lachmanni ad Virum Doct. Franke (Fasti Hor. pag. 240.); Estré, pag. 224; Schütz, I. pag. 203. Frankio omnia indicia mire in annum 25 quadrare videntur, sed fallitur. Nulla enim apud quemquam fit mentio belli Dacorum, quod hoc tempore gestum sit.

2) Cf. App. B. C. V, 99, 112; Dio XLIX, 16.

3) Cf. Dio LI, 3; Vell. II. 88; Tac. Annal. VI, 11. — Franke (F. H. pag. 161) assumit tertiam Maecenatis praefecturam anno 25 gestam, quamquam nihil hac de re a scriptoribus relatum invenit. Recte eum refutat Schütz, provocans ad Tac. Annal. VI, 11: „*Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit. Mox rerum potitus.... sumpsit e consularibus, qui coerceret servitia, et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat.*" Numquam Maecenas fruebatur consulari dignitate; per totam vitam vivebat „*angusto clavo contentus*" (Vell II 88). Fieri igitur non potest, ut post bella civilia tertium urbi praefectus sit.

4) Mommsenus (Res Gestae Divi Aug. pag. 97.) non se perspicere dicit, cur propria vocabuli significatione exclusa, *Medus* (versu 19) accipiatur de Partho

sensiones civiles (vs. 19) et bellum Cantabricum (vs. 21) manifesto indicare annum 29 persuasum sibi habent. Vereor autem, ne ratio eos fefellerit. Quandoquidem enim, ut Dio tradit, 1) anno 29, quum Ianus clausus est, Cantabri nondum erant pacati, mirum mihi videtur, quod initio eiusdem anni Horatius Cantabros *servire* dicit. Verum ut hoc, quod minoris est momenti, omittam; quo tandem modo Horatius loqui poterat de Parthorum

---

Ipse cogitat de Medis Atropatenis, cui assentiri non possum. Id enim agit poeta, ut Maecenatis exhilaret animum et graves sollicitudines ex eo expellat. Quid autem curae occupare eum poterat a parte Mediae Atropatenae, regionis obscurae et vix notae Romanis? Praeterea de Medorum bello civili nihil compertum habemus; quod Strabo 523 (*καὶ αὐτοὶ προςεληλύϑασι τῇ φιλίᾳ τῇ πρὸς Καίσαρα· ϑεραπεύουσι δ' ἅμα καὶ τοὺς Παρϑυαίους.*) duas ibi fuisse factiones dicit, quarum altera Parthis altera Romanis faveret, inde minime efficitur anno 29 Medos *infestos sibi luctuosis armis dissedisse.* Contra de Parthorum dissensionibus abunde constat, nec quicquam aptius ad curas amici pellendas Horatius commemorare potuit, quam acerrimum populi Romani hostem bello intestino flagrare. Sic ubicunque a poeta Medorum fit mentio, Parthi intelligi debent. Hor. C. II. 16:

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori sqq.

III, 5:

Consenuit socerorum in armis
Sub rege Medo *Marsus et Apulus.*

II. 9.

Medumque *flumen gentibus additum*
Victis minores volvere vertices.

Quos hic Medos nominat, iidem alibi *Bactri* vel *Persae* dicuntur: III, 29:

Sollicitus times
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra *parent Tanaisque discors.*

IV. 15.

Non qui profundum Danubium bibunt
Edicta rumpent Iulia, non Getae,
Non Seres infidive Persae,
Non Tanain prope flumen orti.

Cf. praeterea I, 2, 22; 21, 15.

1) Dio LI, 20: *ἦσαν μὲν γὰρ ἐν ὅπλοις ἔτι καὶ Τρηούιροι Κελτοὺς ἐπαγαγόμενοι καὶ Κάνταβροι καὶ Οὐακκαῖοι καὶ Ἄστυρες· καὶ οὗτοι μὲν ὑπὸ τοῦ Ταύρου τοῦ Στατιλίου, ἐκεῖνοι δὲ ὑπὸ Νωνίου Γάλλου κατεστράφησαν.*

bello civili eo ipso tempore, 1) quo Romam nuntius allatus est ita seditiones a Phraäte esse compressas, ut adversarius eius ad Augustum fugere coactus esset? Id quidem nullam habet explicationem et acerrime vetat, ne carmen nostrum in anni 29 initium referatur. »At vero Maecenatis praefectura, ad quam poeta tam perspicue alludit? Ne hoc quidem aetatis indicio moveris?" Opponere possim ipsa verba poetae, qui in eodem carmine amicum suum *privatum* appellat, vs. 26:

Negligens, nequa populus laboret
Parce privatus *nimium cavere.*

Sed non hoc faciam; esto, ut qui urbis fuit praefectus, idem et *privatus* dici potuerit; esto, ut haec, quantumvis contraria, in concordiam redigi possint — sive cum Bentleio verbum »*privatus*" referas ad privata et domestica Maecenatis negotia, sive cum aliis cogitare malis de extraordinario quodam munere, ita, ut magistratu nullo gesto Maecenas *privatus* a poeta nominari possit — alius et gravior remanet scrupulus. Ut libere dicam quod sentio: nulla sub versu 17 latere mihi videtur praefecturae significatio; nata est ex pravo interpretum studio, qui tempora utcumque statuere student et sensum verborum interdum detorquere non verentur, dummodo temporis indicia deprehendantur. Quid enim? An forte Maecenas, Augusti intimus amicus eiusque consiliorum particeps, cui, ut Dionis (44, 1) verbis utar, πάντα τὰ ἀπόῤῥητα ἀνεκοίνου, non nisi urbi praepositus dici potest res publicas in animo habere? Minime opinor; semper reipublicae administrandae intererat, semper eum, tam privatum quam urbis praefectum »*civiles super urbe curae*" premere poterant. Missam igitur faciamus aetatis

1) Ineunte anno 29 Augusti de rebus Parthicis litterae ad senatum pervenerunt (vide pag. 15), et brevi ante Kalendas Martias carmen nostrum conditum est. Cf. vs. 1: *Martiis caelebs quid agam Kalendis*, sqq.

notam, quae nulla idonea causa nititur et ceteris carminis partibus aperte repugnat.

Non aliter sentiendum est de carmine vigesimo nono libri tertii, quod a viris doctis eodem argumento eidem anno adscriptum est. Legitur enim vss. 25—29:

Tu, civitatem quis deceat status
Curas et urbi sollicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

Haec quoque verba pertinent non ad singulare aliquod munus, sed ad solitas reipublicae curas, quales illum habuisse par est, qui ab Augusto quotidie in consilium adhiberetur. Certam praeterea causam mihi adesse arbitror, qua negem, hoc carmen incidere in secundam Maecenatis praefecturam. Quandoquidem enim mense Iulio 1) carmen compositum esse constat, nullum invenio huius praefecturae annum, in quem commode referri possit. Anni 31 et 30 plane abhorrent. Tum longe aliae curae Maecenatis animum sollicitum habebant, nec poeta extremas memorasset Orientis gentes, sed turbas civiles et bellum Aegyptium. Restat igitur mensis Iulius anni 29, cui Schütz aliique hanc oden assignant. Hoc autem tempus ab argumento nostri carminis non minus alienum est. Aestate Octavianus ex Asia decessit. Cf. Dio LI, 21.: τοῦ δὲ δὴ θέρους ἔς τε τὴν Ἑλλάδα καὶ ἐς τὴν Ἰταλίαν ὁ Καῖσαρ ἐπεραιώθη. Mense Sextili continuo triduo tres egit triumphos curules. Cf. Senatusconsultum apud Macrobium, Sat. I, 12, 35.: *Cum imperator Caesar Augustus mense Sextili et primum consulatum inierit et* t r i u m p h o s t r e s i n u r b e m i n t u l e r i t ..... *placere Senatui, ut hic*

---

1) Cf. versus 17—20:

Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem, iam Procyon furit
Et stella vesani Leonis
Sole dies referente siccos.

mensis Augustus appelletur. Orell. Inscrip. II, p. 397: a. d. XIX Kal. Sept. Augusti triump.

Quodsi igitur Augustum circa mensem Iulium Romam rediisse patet, quis tandem serio potest in animum inducere, ut poetam credat Augusti amicum in villam suam invitasse et a nimia sollicitudine dehortatum esse ipsis illis diebus, quos plenos fuisse effusae laetitiae et hilaris festivitatis cum rerum natura clamat, tum Dio diserte testatur? Iam solus color nostri carminis talem cogitationem respuit, ne dicam, quam sit incredibile, Horatium ne levi quidem indicio ad laetum principis reditum allusisse. Sed ad oden III, 8 ut redeamus; si non necessario hic de Maecenatis praefectura agi evicimus, et ceterae, quae carmini insunt, aetatis notae parum ad anni 29 initium conveniunt, reliquum est, ut eam ante Cal. Mart. anni 28 conditam esse censeamus. Tum quidem re vera Cantabri in servitutem erant redacti, et Daci magnas clades acceperant, 1) ut iure poeta id temporis cantare posset:

Occidit Daci Cotisonis agmen,
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber.

Id tempus si recte a me definitum est, proclivis est suspicio, circa anni 28 initium regnum Parthorum de integro bello intestino esse vexatum, ut hoc quoque carmen commendare potius quam reicere Iustini testimonium mihi videatur.

Quibus rationibus subductis propius, ni fallor, ad verum accedet ille, qui de Tiridatis in Hispaniam fuga, fidem habeat Iustino, quippe cui nihil aperte contradicat, multa vero eximio sint praesidio, quam qui ex solo Dionis silentio illum errasse concludendum censent.

Quod si non sine veri specie statuere mihi posse

1) Cf. Dio LI. 23, sqq.

videor, longe abest, ut similiter iudicem de tota, quae apud Iustinum invenitur rerum gestarum expositione. Multa enim pessimae negligentiae notam prae se ferunt. Quod de priore bello civili Parthorum, ne verbum quidem apud illum legitur, id excusationis aliquid habet epitomatoris studio brevitatis, qui quae levioris momenti sibi esse videntur, suo iure tacitus praetermittit; sed nullo modo probari potest, quod mirum in modum perturbavit atque confudit quae loco ac tempore diversa sunt et separata. Phraätis filius, si Iustinum audis, anno 25 a Tiridate abductus est; attamen iam quinque annis ante erat in potestate Augusti; hanc enim rem ne omnino praeteriret vetuit filii redditi mentio, quae subinde sequitur; ut suo loco commemoraret, epitomator brevitatis nimium studiosus, a se impetrare non potuit. *Post bellum Cantabricum* Augustum *Romae* legationem Phraätis accepisse, iisque senatu auctore responsum reddidisse, supra iam monuimus; Iustinus vero haec omnia in eundem locum et in idem tempus confert, cum Augustus adhuc in Hispania versaretur.

In similem errorem incidit Noster sub finem libri, ubi signorum et captivorum recuperatione memorata, statim subiungit, filios quoque et nepotes Phraätis obsides Augusto esse datos, quamquam undecim annorum intervallum utrique rei intercessisse constat. 1)

Sunt haec vitia huiuscemodi, ut incredibile mihi videatur, ea Trogi quoque historiis adhaesisse. Solus Iustinus culpam sustinet, qui ne tantam quidem diligentiam operi suo impendit, ut recte et ordine describeret vel excerperet, quae in exemplo suo prompta et parata habebat. Ut supra iam (pag. 23 sqq) exemplum pro-

---

1) Mommsen (de Rebus Gestis Divi Augusti, pag. 94) evidenter demonstravit, non fieri posse, ut liberi Phraätis ante annum 9 a. Chr. n. Romam venerint.

tulimus, quo nullum aliud evidentius demonstrat, quanta socordia atque incuria Trogi opus in epitomen sit redactum, sic hic quoque, etsi ipsa Trogi verba aetatem non tulerint, non dubitandum est, quin quibus rebus ipse testis aequalis adfuit, rectius eae ac diligentius apud illum scriptae exstiterint, quam apud Iustinum leguntur.

Haec omnia, ut opinor, sufficient ad confirmandam sententiam, quam initio huius capitis posuimus, parum ad rerum Parthicarum notitiam redundare emolumenti ex iis quae de rebus ab Orode et Phraäte gestis Iustinus scripto mandaverit. Non diffiteor, hic illic eum commemorasse, quae frustra apud ceteros quaeruntur; plerumque vero de rebus memoratu dignissimis quam paucissimis absolvit, et si quando plenior et uberior narratio procedit, tantam ostendit negligentiam, ut et in iis partibus historiae Parthicae, quae sola Iustini auctoritate nituntur, multum de fide eius derogandum esse statuere liceat.

CAPUT TERTIUM.

DE C. CASSII ET M. TULLII CICERONIS REBUS CONTRA PARTHOS GESTIS.

Ex quo die in bello Cimbrico duo exercitus consulares ad Arausionem occidione erant occisi, non alia acciderat calamitas cum maiore ignominia et periculo nominis Romani, quam clades Crassiano exercitui ad Carras illata. De septem legionibus optime instructis, quatuor equitum milibus, totidem fere levis armaturae militibus, qui Euphratem flumen traiecerant, viginti milia — in his ipse imperator cum filio Publio et multis legatis — caesa, decem milia capta dicuntur; 1) si qui ex tam foeda strage erant reliqui, hi Cassii quaestoris consilio ac virtuti acceptum referebant, quod incolumes in Syriam evaserant.

Tam tristi eventu in Orientis provinciis multum de Romani imperii amplitudine et maiestate esse detractum, dicere vix necesse est. Undique pericula imminebant; sine ulla custodia Syriae fines hosti patebant, nec quisquam, si statim Parthi victoriam in usum convertissent, aditu eos prohibere valuisset. In ipsa provincia omnia plena turbarum: Iudaeorum seditio, antehac magno cum

---

1) Cf. Plut. Crassus XX. 31.

labore a Gabinio compressa, tunc de integro accendebatur 1). Nabataei, Ituraei, Idumaei, aliae Syriae deserta incolentes Arabum gentes, quae a Pompeio sub dicionem redactae, post huius discessum bellum et rapinas numquam intermiserant, 2) a Romanorum dominatione abhorrentes ad Parthos inclinabant. Rex Commagenus Antiochus, Orodi per affinitatem coniunctus, 3) dubiae erat fidei. Res piratica nova ceperat incrementa. 4) Abominabantur provinciales Romanorum magistratuum avaritiam et rapacitatem, neque id mirum cuiquam videbitur, qui cognoverit, duorum proconsulum, qui proxime antecesserant, alterum, Aulum Gabinium, tam inexplebilis fuisse cupiditatis, ut ad summam amplius quater milies sestertium compilasse et ipsis praedonibus maiora damna provinciae inflixisse dicatur, 5) alterum, M. Licinium Crassum, prae auri studio re militari neglecta et belli Parthici opportunitate omissa, 6) eo progressum esse libidinis et audaciae, ut ne duo sanctissima quidem et opulentissima templa, quae Hierapoli et Hierosolymis summa religione colebantur, expilare et diripere erubuerit. 7).

Ex Cilicia parum exspectari poterat auxilii. Stabant ibi duae legiones, quae ad tam latam et vastam provinciam tutandam vix satis erant validae. Id temporis enim provincia erat consularis et amplectebatur Ciliciam asperam et campestrem, Cyprum, Isauriam, Pisidiam, Pamphyliam, Lycaoniam et tres dioeceses Phrygiae:

---

1) Cf. Flav. Ios. A. J. XIV, 5, 6, 7.

2) App. Syr. LI; Flav. Ios. XIV, 5, 6.

3) Dio XLIX, 23. Orosius VI, 13 perperam tradit Antiochum a Cassio victum esse et interfectum. An forte alius quidam Antiochus eo nomine intelligendus est?

4) Dio XXXIX, 56.

5) Dio XXXIX, 55, 56.

6) Plut. Crass. XVII.

7) Plut. Crass. XVII; Flav. Ios. A. J. XIV, 7, I. Oros. VI, 13.

Cibyraticam, Apamensem, Synnadensem. 1) Ipsa Cilicia, utpote undique altis montium iugis cincta, difficiles quidem aditus habebat, sed tamen a parte Syriae minus erat tuta, quandoquidem in monte Amano habitabant ferae gentes, quae nondum armis Romanis domitae provinciae incolas rapinis et latrociniis admodum vexabant et Parthorum adventum acerrime exspectabant. 2) P. Cornelium Lentulum, qui usque ad annum 53 praefuerat Ciliciae, res fortiter contra hos populos gestae triumphi ornaverant honoribus; tantum vero abfuit, ut tunc quidem debellati essent et pacati, ut, qui ei in provinciali munere successit, Appius Claudius Pulcher, bellum renovare esset coactus.

Cappadocia, intestinis conflictata discordiis, nuda praesidio patebat a parte Armeniae, cuius rex Artavasdes, ad id tempus socius et amicus populi Romani, postquam in bello perfide a Crasso destitutus est, ad Parthorum accesserat societatem, sororemque suam Orodis filio Pacoro in matrimonium dederat. 3)

Ea igitur quum esset conditio, ut cum Asia tum Syria in extremum esset adducta discrimen, quid aliud exspectares quam eo nuncio Romam allato omnium animos vehementissime fuisse commotos? At vero neque ab aequalibus, neque a posterioris aetatis scriptoribus ulla fit mentio, quomodo Crassi interitus fama a Romanis civibus excepta sit. Haud multum eos laborasse colligas ex ipso hoc aequalium, Ciceronis imprimis, silentio, et ex eo, quod per complures deinceps annos nihil prorsus actum est, quod rem lapsam sublevaret. De dilectu agendo, de novo exercitu parando, de successore in mortui locum mittendo ne cogitabatur quidem. Aliis curis intenta erat

---

1) Cf. Becker, antiq. rom. vol. III. pars. I, pg. 166.
2) Vide Cic. ad Fam. XV. 4. § 10.
3) Plut. Crass. XXXIII.

respublica. Factionum studia maioris pretii esse videbantur quam imperii integritas et incolumitas. Nihil perturbatius, nihil corruptius fingi potest, quam reipublicae rationes, quales anno 53 Romae inveniuntur. Ambitionum intemperantia eo iam processerat, ut magistratus omnes immodicis largitionibus, quin etiam gladiis et lapidibus peterentur. Audi modo Plutarchum in vita Caesaris, cap. 28 : *οἱ μὲν ἀρχὰς μετιόντες ἐν μέσῳ θέμενοι τραπέζας ἐδέκαζον ἀναισχύντως τὰ πλήθη, κατῄει δὲ ὁ δῆμος ἔμμισθος οὐ ψήφοις ὑπὲρ τοῦ δεδωκότος, ἀλλὰ τόξοις καὶ ξίφεσι καὶ σφενδόναις ἁμιλλώμενος. Αἵματι δὲ καὶ νεκροῖς πολλάκις αἰσχύνοντες τὸ βῆμα διεκρίθησαν ἀναρχίᾳ τὴν πόλιν ὥσπερ ἀκυβέρνητον ὑποφερομένην ἀπολιπόντες.* 1) Comitia consularia quamvis iam a mense Quinctili anni superioris habita, diu trahebantur nec perfici poterant, cum propter perditas candidatorum contentiones, tum quod tribuni plebis, qui rem publicam tractabant, omni ratione, ne magistratus crearentur, impediebant; et ita evenit, ut consules non statim initio, ut moris erat, sed septimo demum mense munus auspicati sint. Quod reliquum erat anni, novis comitiis impensum est, sed tunc quoque armatis identidem immissis comitia turbabantur, iterumque factum est, ut novus annus nullos haberet magistratus. Tum mense Ianuario Clodio occiso, ut turbae seditionesque, quae hanc caedem secutae sunt, sedarentur, senatusconsulto in Bibuli sententiam facto Pompeius consul creatus est sine collega V Kal. Mart. mense intercalario.

Temporibus tam turbidis, tam tumultuosis negotium Parthicum ne dignum quidem videbatur, quo de referretur ad senatum, neque per Pompeii consulatum quidquam agebatur, ut pericula, quae ab Oriente immine-

---

1) Cf. etiam App. B. C. II, 19.

rent, propulsarentur. Hoc quoque anno nemo erat, qui in Crassi locum proconsul in Syriam mitteretur, quo factum est, ut anno 51 demum Cilicia et Syria novos acceperint rectores, M. Tullium Ciceronem et M. Calpurnium Bibulum, quorum alter duodecim, alter octo annis ante consulatum gesserat. Quae fuerint causae, cur praeter morem hi viri, qui consulari munere confecto provinciam erant aspernati, nunc vero post tot annorum intervallum in provinciam abierint, breviter mihi exponere liceat.

Senatusconsultum de provinciis anni 53, quod tum ratum non erat factum, lege sanxit Pompeius, qua cautum est, ne quis, qui in urbe magistratum gessisset, provinciae praeesset nisi post quinque annorum intervallum, *εἴ πως* — ut Dionis verba afferam — *ὑπὸ τοῦ μὴ παραυτίκα ἐν, δυνάμει τινὶ αὐτοὺς γίγνεσθαι παύσαιντο σπουδαρχοῦντες.* 1) Saepe enim candidati, ut haberent, quo largitionum impensis satisfacere possent, in grande inciderunt aes alienum, unde ut expedirentur et lucrum insuper facerent, provinciales misere expilare solebant; sin autem spes quaestuosi provincialis muneris in sextum annum proferretur, haud dubium erat, quin esset futurum, ut multi ab insanis largitionibus, vel omnino a magistratuum petitione deterrerentur 2). Ea lex quum manifesto non ante quinquennium vim et effectum habere posset, penes senatum cura fuisse videtur, quo modo

---

1) Cf. Dio XL, 46, 56. Vitium traxit alius locus Dionis, ubi idem senatusconsultum attingit: XL, 30: *ἅμα δὲ οὗτος ὁ Πάκορος ἀνεκεχωρήκει, καὶ ὁ Βίβουλος ἄρξων τῆς Συρίας ἀφίκετο, καίπερ ἐψηφισμένου μηδένα μήτε στρατηγόν μήθ᾽ ὕπατον μήτε εὐθὺς μήτε πρὸ πέμπτου ἔτους ἐς τὰς ἔξω ἡγεμονίας ἐξιέναι, ἵνα μὴ διὰ τοῦτο σπουδαρχοῦντες στασιάζωσιν.* Verbo *καίπερ* pessumdatur sententia, quam hoc modo restituere mihi videar: *καὶ γὰρ ἐψηφισμένον ἦν μηδένα κτλ. Etenim* lege cautum erat, ne...

2) Hanc legem haud minus adversus Caesarem quam adversus ambitum latam esse, optime demonstravit Mommsenus H.R. III. 347.

interim provinciae administrarentur 1): statuit ordo amplissimus ex legis consilio ac voluntate, ut provinciam haberent, qui antea consulatum praeturamve gessissent necdum provincias administrassent, ut satis apparet ex Ciceronis epistola ad M. Caelium; ad Fam. II, 15, 4: »*fortasse etiam illud adderent, senatum eos voluisse provinciae praeesse, qui antea non praefuissent; fratrem meum triennium Asiae praefuisse.*" Quibus vero rationibus in provinciarum ad annum 51 sortitione habenda usus sit, quamvis non diserte nobis sit traditum, haud absonum tamen videtur, easdem fere fuisse, quas expressas legas in senatusconsulto, quod factum est, cum ageretur de provinciis ad annum 50 sortiendis. ad Fam. VIII, 8: »*itemque senatui placere in Ciliciam provinciam, in* VIII *reliquas provincias, quas praetorii pro praetore obtinerent, eos, qui praetores fuerunt neque in provinciam cum imperio fuerunt, quos eorum ex s. c. cum imperio in provincias pro praetore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere; si ex eo numero, quos ex s. c. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur, tum* uti quodque collegium primum praetorum fuisset *neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur; si ii ad numerum non essent,* tunc deinceps proximi cuiusque collegii, *qui praetores fuissent neque in provincias profecti essent, in sortem conicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret; si quis huic s. c. intercessisset, auctoritas perscriberetur. Huic s.c. intercessit C. Caelius, C. Pansa, tribuni pl.*" Unde patet, id voluisse senatum, ut eorum, qui provinciam nondum rexissent, ii primi

---

1) G. Zumpt, comm. epigr. vol. II pag. 204; Hartung, de proconsulatu Ciceronis Ciliciensi, pag. 17 sqq.

in sortem venirent, quibus a magistratu gesto plurimum praeteriisset temporis. Nullius igitur ratio prius habita est quam M. Tullii Ciceronis, qui cum ex praetura, tum ex consulatu mansisset in urbe, et aetate maxime esset provectus eorum, qui citra annum sexagesimum — hic enim annus habebat aetatis vacationem — nondum gubernassent provinciam 1). Duarum provinciarum consularium, quae in sortem coniectae sunt, Syria evenit M. Calpurnio Bibulo, Cilicia M. Tullio Ciceroni. Contra legem Corneliam senatus novis rectoribus concessit, ut annuo spatio confecto statim de provincia decederent, dummodo quempiam, qui praeesset, reliquissent 2). Cicero quidem, quamquam semper et ubique provinciae molestias acerbissimo odio erat persecutus, senatusconsulto obtemperandum esse duxit, sive id fecit, ut ipse alicubi declarat, motus debita erga senatum reverentia, 3) sive quod probe intelligeret, si ipse recusandi praebuisset exemplum, periculum fore, ne non ad numerum suppeterent viri, qui provinciis praeficerentur, sive quod secundum praecepta, quae fratrem suum monuerat 4), provinciae recte et continenter administrandae quasi exemplar proponere et relinquere vellet, seu quod magnae suae gloriae triumphi

1) Zumpt, Commentat. Epigraph. vol. II, pag. 205: „Ex cos. anni 64 C. Marius Figulus hoc, in quo versamur, tempore decesserat. (Cic. de leg. II, 25, 62). L. Iulius Caesar vivebat ille quidem (Cic. Phil. II, 6), item L. Aurelius Cotta, cos. anni 65 (Cic. ad Fam. XII, 2, 3), sed uterque ea aetate erat, ut otium urbis praeferret. Itaque recte videmur facere, si neminem, qui ante Ciceronem gesserat consulatum, ad provincias tunc admissum esse statuimus."

2) ad Att. VI, 4.: *„Relinquendus erat ex senatusconsulto, qui praeesset."* Ambo, et Bibulus et Cicero, hanc concessionem in rem suam converterunt Cicero, ut annuum tempus emeritum habuit, statim Romam revertit a. d. III Non. Sext. (ad Fam. III. 12) et eodem anno Bibulus, sed aliquanto post, quod et tardius in provinciam pervenerat. Cf. ad Att. VII. 3.: *„Bibulus de provincia decessit, Veientonem praefecit.*

3) Cf. ad Fam. XV. 4, 13.

4) Cf. ad Qu. fr. I, 1.

honores deesse moleste ferret 1). Quaecunque autem fuit causa, id certe constat, mox eum provinciae susceptae taedium cepisse. Hoc unum habebat solatium, quod senatus curam haud longiorem annua 2) fore decreverat, et omni ope atque opera, ne prorogaretur, enitebatur. Vixdum in provinciam pervenit, et scripsit ad dilectissimum amicum (ad Att. V. 15): »*haec non desidero: lucem, forum, urbem, domum, vos desidero. Sed feram, ut potero, sit modo annuum; si prorogatur, actum est.*" Et post pauca addit: »*clitellae bovi sunt impositae; plane non est nostrum onus. Sed feremus, modo, si me amas, adsis tu ad tempus, ut senatum totum excites.*" Sic a primis inde itineris diebus quoscunque domi habuit potentes amicos precibus fatigat, ne paterentur quidquam sibi addi ad annuum provinciae tempus 3); Q. Hortensium, et Cn. Pompeium in itinere convenit, ut horum auxilium sibi conciliet 4); moleste fert, Atticum non esse Romae, cum de provinciis in senatu esset agendum 5); ne iis quidem, quibus non

---

1) Anthony Trollope, qui novissime historiam Ciceronis conscripsit, minus recte putat, Ciceronem *senatusconsulto coactum esse*, ut in provinciam abiret. (Life of Cicero, vol. II. pg. 89.). Ea opinio satis, ni fallor, refutatur hisce verbis, quae Cicero scripsit ad senatum (ad Fam. XV. 1, 4.): „*nos quemadmodum instructos et quibus praesidiis munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari: quod ego negotium non stultitia occaecatus, sed verecundia deterritus* non recusavi". Praeterea conferas velim ad Fam. II. 12. 2: „*urbem, urbem, mi Rufe, cole, et in ista luce vive: omnis peregrinatio — quod ego ab adulescentia iudicavi — obscura et sordida est iis, quorum industria Romae potest illustris esse. Quod cum probe scirem*, utinam in sententia permansissem."

2) ad Att. VI. 6. 3.: „*Dum impendere Parthi videbantur, statueram fratrem relinquere, aut etiam reipublicae causa* contra senatusconsultum *ipse remanere*. Ceterum componas velim ad Fam. II. 7. 14; XV, 4. 5.

3) Cf. ad Att. V. 1, 1; 2, 3; 11, 1; 11, 5; 13, 3; 14, 1; 15, 1; 18, 1; 21, 1; VI. 2. ad Fam. II. 7, 4; 8, 3; 10, 4; XV. 9, 12.

4) Cf. ad Att. V. 2, 1; 9, 2; 6, 1.

5) Cf. ad Att. V. 21, 1.

erat amicus, parcit rogando et adhortando, ut annus maneat suo statu. 1)

Post lentum trium mensium iter Cicero Laodiceam pervenit pridie Kal. Sextilis, et hoc die imperium suscepit provinciae. 2) Quo imperante quid contra Parthos gestum sit, hoc capite examinare propositum habeo.

Sed antequam ad propositum aggredior, pauca praecedant, e quibus cognoscatur eximia virtus et prudentia, qua per duos annos ex Crassi clade praeterlapsos C. Cassius in Syria erexerit et corroboraverit labentem rem Romanam.

Iam in ipsa tristi illa expeditione eam ostenderat rei militaris peritiam, eam in rebus angustis et trepidis animi praesentiam et constantiam, quarum laude inde usque insigniter florebat. Eius consilio si aurem praebuisset Crassus, profecto alius exitus bello fuisset impositus, sinon prosper et felix, attamen minus turpis et calamitosus. Inde ab initio tamquam praesagiens malum impendens Cassius retinere studebat imperatorem caecum et praecipitem in exitium ruentem. Paucis diebus post Euphratis traiectum cum Crassus undique regionem hostium vacuam conspiciens alacri animo et iam certus victoriae procederet, frustra eum dehortatus est, ne pergeret; frustra monuit ut urbe aliqua, quae Romano praesidio esset munita, contineret exercitum, dum certi aliquid de hoste resciisset. Abgar, fraudulentus ille Arabum phylarchus, qui simulata amicitia speciosis et falsis argumentis duci persuasit, ut Euphrate a tergo relicto copias in vastam camporum planitiem proiceret, Cassio imponere non valebat; hic quidem perspectam habebat fallacem et subdolam hominis indolem

1) Scripsit ad Appium Claudium (ad Fam. 8, 9; 10, 3.) et C. Cassium (ad Fam. XV, 14.), cum quibus eo tempore simultates ei intercesserant.

2) ad. Att. V. 15: *Laodiceam veni pridie Kal. Sextilis: ex hoc die clavum anni movebis.*

et verum adventus consilium, sed nequicquam surdas fatigabat aures, et nihil ei erat reliquum, nisi ut acerbissima maledicta coniceret in turpem simulatorem, quo nemo plus contulit ad exitium Romani exercitus parandum. Brevi ante pugnam, ut Parthorum adventus renunciatus est, Crassus milites confertis ordinibus incedere iussos periculo obiecit, ne undique circumdarentur, eosque, quamvis longo itinere confectos, citato gradu hosti misit obviam, Cassio multisque aliis renitentibus, qui, ut unum diem ad milites reficiendos opperiretur, suaserant. Post cladem acceptam, quum omnes fere consilii inopes animos desponderent, et nemo magis quam ipse imperator, qui capite obvoluto seorsum in tenebris iacebat, quaestor unus inter paucos spem servavit salutis, animos afflictos sublevavit et confirmavit, et, Crasso nihil agente, ipse cum Octavio legato tribunos militum et centuriones adhibuit in consilium, ut deliberaretur, quidnam esset agendum. 1)

Tot tam praeclaris virtutis ac consilii documentis fieri non potuit, quin ingentem sibi pararet famam et auctoritatem. Si Dionem audias, milites hac occasione summam rerum ei detulerunt, Crasso concedente, sed recusavit. 2) Vel hostem cepit admiratio rerum a Cassio gestarum. 3) Maiorem etiam gloriam adeptus est eo, quod in misero rerum statu, quem supra descripsimus, Syriam provinciam retinuit in populi Romani potestate, idque, initio saltem, sine ullo, quod vim haberet, praesidio. Ipse enim in Syriam evaserat cum quingentis equitibus; 4) ex his et ex ceteris exercitus reliquiis, quas, quo quemque rapuerat fuga, disiectas recollegit in unum,

1) Cf. Plut. Crass. 18, 20, 22, 23, 27.

2) Cf. Dio XL. 28.

3) Cf. App. B. C. IV. 59.: *Καὶ αὐτῷ* (scil. *τῷ Κασσίῳ*) *τινες καὶ Παρθυαίων ἱπποτοξόται συνεμάχουν δόξαν ἔχοντι παρὰ τοῖς Παρθυαίοις, ἐξ οὗ Κράσσῳ ταμιεύων ἐμφρονέστερος ἔδοξε τοῦ Κράσσου γενέσθαι.*

4) Cf. Plut. Crass. 29.

novum comparavit exercitum, qui duarum legionum numerum expleret. 1) Ab hisce subsidiis, exiguis quidem, quod ad numerum attinet, sed disciplinae vigore optime institutis — acer enim erat Cassius et severus, et tamquam alter Clearchus id agebat, ut milites ducis potius metu quam amore permoti statim imperata exsequerentur 2) — ab his inquam subsidiis profectus eo pervenit, ut res provinciae disturbatas composuerit et ordinaverit, homines fide suspectos in officio continuerit, seditiosos ad fidem redegerit, 3) et hostes in provinciam invadentes reiecerit cum magna sua gloria. Haud levem huius prosperi eventus partem habebat fortuna. Peropportune enim accidit, ut Cassius primis post cladem acceptam temporibus otium haberet ab hoste externo. Parthi in praesentia satis habebant, quascunque urbes Graecas in Mesopotamia Crassus imperio Parthico liberaverat, recuperare, neque Romanos bello lacessebant. Anno 52 demum in Syriam invaserunt cum exercitu haud ita magno, utpote in provinciam orbam imperatore et infirmis munitam praesidiis, quo factum est, ut facili negotio Cassius eos trans Euphratem reppulerit. Sed postero anno incursionem renovarunt, et nunc quidem melius parati. Mense Sextili, paucis igitur diebus post Ciceronis in Asiam adventum, Euphratem transierunt cum ingenti vi copiarum, duce Pacoro, Orodis filio, cui rex ob puerilem aetatem Osacen dederat in consilium, virum magna in Parthis auctoritate florentem. 4)

---

1) App. B C. II, 49: *Πομπηΐῳ δὲ (ἦν) πέντε μὲν ἐξ Ἰταλίας (τέλη)... ἐκ δὲ Παρθυαίων δύο τῶν σὺν Κράσσῳ πεπολεμηκότων τὰ ὑπόλοιπα.*

2) Cf. Plut, Brut. 29. App. B. C. IV. 123.

3) Factionem Iudaeorum, quae Crasso absente seditionem moverat, Cassius ab Herodo Antipatro adiutus devicit; circiter triginta milia eorum in servitutem redegit; seditionis auctorem, Pitholaum supplicio affecit. Cf. Flav. Ios. A. J. XIV. 7. § 3.

4) Surenam, cuius res gestae invidiam conflaverant, rex occidendum curavit haud ita multo post Crassi interitum. Cf. Plut. Crass. 33.

Hoc quoque bello Cassius — Bibulus enim, qui multa in itinere morabatur, nondum in provinciam pervenerat 1) — egregii imperatoris sustinuit partes. Crassi exemplo edoctus curae habuit, ne copias suas in locis apertis Parthorum multitudini obiceret; itaque omni regione hosti permissa Antiochiam concessit, in urbem munitissimam et copiosissimam, probe sciens fore ut hostes, siquidem ad urbem oppugnandam transirent, frustra operam et vires consumerent et facili negotio reicerentur; omnem enim artem magis callebant quam τὴν πολιορκητικήν. Neque spes eum fefellit. Passim metum et terrorem ferentes Parthi primum per Cyrrhesticam in fines Ciliciae et Cappadociae se convertunt, dein itinere mutato ad Antiochiam progrediuntur. Hoc autem loco sistitur eorum impetus. A Cassio reiecti abeunt ad Antigoniam, oppidum vicinum, non sine spe, fore ut hic res melius procederet. Ubi hinc quoque cum magno suo malo repulsi sunt, alio iter vertentes Cassius eos ex insidiis aggressus est magnamque edidit stragem; ipse dux Osaces occisus est et Pacorus reliquias exercitus celeri fuga in Mesopotamiam reduxit. 2) Post hostium discessum tandem aliquando Bibulus in provinciam pervenit, 3) et imperium deposuit Cassius, quem deceden-

1) Si verum est, quod Cicero dicit (ad Fam. XV, 3) Bibulum circiter *Idus Sext.* ab Epheso in Syriam navibus esse profectum, et ventos habuisse secundos, vix suspicionem removere possum de industria illum iter tardasse, ut belli Parthici pericula subterfugeret.

2) Cf. Dio Cass. XL, 29. Quod Dio sub finem huius capitis affirmat Pacorum ex eo inde tempore non amplius in Syriam invasisse, id quidem error manifestus est, nam ut omittam, quod ex Ciceronis epistolis patet, eum anno proximo iterum in Syria hiemare, ipse Dio libris XLVIII et XLIX plene et copiose enarrat bellum, quod ab anno 40 per triennium a Pacoro in Syria et Asia gestum est.

3) Dio XL 39: ἅμα δὲ οὗτος (ὁ Πάκορος) ἀνεκεχωρήκει, καὶ ὁ Βίβουλος ἄρξων τῆς Συρίας ἀφίκετο. Cf. ad. Fam. II, 10: „*Cum venissem ad Amanum.... Cassius noster, quod mihi magnae voluptati fuit, feliciter ab Antiochia hostem reiecerat. Bibulus provinciam acceperat.*" Praeterea componas velim ad Att. V, 20, 4; ad Fam. XV, 4, 7.

tem summa laus et summa gratia provinciae prosecuta est. 1)

Quid Cicero interea pro sua parte egerat in tanto belli timore et tumultu? Si ipsi credas, haud parva erant eius merita. Audi modo ipsum in epistola ad Atticum partem laudis ac gloriae sibi vindicantem. ad Att. V. 20, 3.: »*Rumore adventus nostri et Cassio, qui Antiochiae tenebatur, animus accessit et Parthis timor iniectus est: itaque eos cedentes ab oppido Cassius insecutus rem bene gessit; qua in fuga magna auctoritate Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit eoque interiit paucis post diebus. Erat in Syria nostrum nomen in gratia.*" Nulla huius laudis memoria exstat neque apud Dionem, neque apud Plutarchum, alioquin haud parce Ciceronis honorem praedicantem, ut sponte animum subeat dubitatio, num iure et merito suarum rerum egerit laudatorem. Qua de re ut rectum et aequum feratur iudicium, quam potero diligentissime, investigabo, quaenam Ciceronis in bello Parthico fuerint partes.

Quod in praecedentibus dixi, invitissimum Ciceronem Roma abesse, id quidem habet aliquid excusationis, si rationem inieris copiarum, quae ei in provincia praesto erant. Habebat enim duas legiones, 2) neque eas plenas

1) Cf. ad Fam. XV. 14.

2) Plutarchus in vita Ciceronis (cap. 36) nobis auctor est, duas Ciceronis legiones habuisse militum duodecim milia cum duobus milibus et sexcentis equitibus, sed liquido constat hunc numerum minime spectare ad copias, quas suo adventu in provincia invenit, sed respicere exercitum post adventum corroboratum et completum. Legio enim, si numerum habebat iustum ac legitimum, complectebatur militum sex milia; *) plerumque tamen numerabat multo pauciores, neque aliter res se habebat in Ciceronis exercitu, nam Appius postremo suae administrationis anno dimiserat permultos milites (ad Fam. III. 3. 2.), qua de re quidem senatusconsulta intercesserant, ne copiae imminuerentur, sed nihilo minus, cum Cicero in provinciam advenit, aberant tres cohortes plenissimae, neque sciebat ubinam essent. (ad Fam. III. 6. 5.). Hinc ira exardescens ex-

*) Becker. Antiq. Rom. vol. III, pars II, pg. 249.

et integras, quae etsi rebus placidis et tranquillis sat validum exhiberent praesidium, tamen non sine causa Ciceroni timorem iniciebant, ne impares essent ad magnam belli Parthici exspectationem, in provincia praesertim, quae propter acerbitatem Romanorum imperii multos haberet cupidos rerum novarum. Opus erat praesidio validiore; id ex Cilicia Appius Claudius proconsul suaserat, id omnes censebant senatores, — attamen, quum Cicero et Bibulus, antequam ex urbe abirent, agerent cum senatu, ut in Italia supplementum legionibus scriberetur, Sulpicius consul hoc se passurum negavit, haud dubie quod Italiam praesidio nudare nollet iam impendente bello civili; et tantus fuit consensus senatus, ut mature proconsules proficiscerentur, parendum ut fuerit. 1) Quod vero senatus concessit, ut in Asia dilectus haberetur, id quidem adiumentum tam leve erat et futile, ut Bibulus eo uti noluerit. 2) Quid mirum igitur, si Cicero animum habuit de Parthica incursione magno opere sollicitum? 3) Accessit quod ob stipendii 4) intermissam solutionem militum exstiterat seditio, quae quamquam ante Ciceronis adventum ab Appio Claudio erat composita, effecerat, ut exercitus

---

clamat in epistola ad Atticum (V. 15. 1.): „*cum exercitum noster amicus habeat tantum*, me nomen habere duarum legionum?" Confer etiam Caelii epistolam ad Ciceronem (ad Fam. VIII. 5. 1.): „*tuus porro exercitus vix unum saltum tueri potest. Hanc autem nemo ducit rationem, sed omnia desiderantur ab eo — tamquam nihil denegatum sit ei, quominus quam paratissimus esset —, qui publico negotio praepositus est.*"

1) Cf. ad. Fam. III, 3.

2) Cf. ad Fam. XV, 1. 5. „*sociorum auxilia propter acerbitatem atque iniurias imperii nostri aut ita imbecilla sunt, ut non multum nos iuvare possint, aut ita alienata a nobis, ut neque exspectandum ab iis neque committendum iis quicquam esse videatur.*

3) Iam in medio itinere inter Actium et Athenas scripsit ad Atticum: „*Parthus velim quiescat et fortuna nos iuvet; nostra praestabimus.*"

4) Hanc seditionis fuisse causam conicias ex Ciceronis verbis, ad Att. V. 14. 1,: „*seditio militum sedata ab Appio stipendiumque eis usque ad Idus Quinctiles persolutum*".

esset dissipatus, et quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, sine centurione ullo, a ceteris seiunctae, apud Philomelium consedissent. 1) Denique desiderabantur tres cohortes plenissimae, quas ab Appio dimissas fuisse veri simile est. 2) Itaque in tanta militum paucitate Cicero nihil habuit antiquius, quam ut pararet et expediret ea, quae ad exercitum et ad rem militarem pertinerent. M. Anneio legato imperavit, ut quinque illis cohortibus ad reliquum exercitum deductis castra in Lycaonia apud Iconium faceret; ipse 3) interea ex senatusconsulto coegit firmam manum evocatorum, equitatum satis magnum, et regum sociorum auxilia voluntaria. Quo facto ad castra se contulit, ut, dum anni tempus esset idoneum, aliquid negotii gerere posset. Habebat in animo, siquidem Parthi nihil movebant, contendere ad Taurum, ibique de medio tollere latronum ducem Moeragenem, ad quem servus Attici confugerat, 4) deinde exercitum ducere ad Amanum, sperans fore ut, gentibus montanis devictis, lauream inde deportaret.

Laodicea profectus a. d. III Non. Sextilis iter fecit ad castra per oppida Apameam, Synnada, Philomelium et Iconium, quibus locis breve tempus consumpsit in conventu agendo. Triduum 5) Apameae moratus a. d.

---

1) Cf. ad Fam. XV. 4. 2.

2) Vide dissertationis pag. 82.

3) Cf. ad. Fam. XV. 4.

4) Cf. ad Att. V. 15.

5) De numero dierum, quos in singulis urbibus impendit conventui agendo, tria exstant in Ciceronis epistolis testimonia multum discrepantia. a. d. III Id. Sext., cum esset in itinere a Synnadis ad Philomelium, scripsit ad Atticum (V. 16. 2.) *„in provinciam nos venisse scito prid. Kal. Sext., moratos* triduum *Laodiceae*, triduum *Apameae*, totidem dies *Synnade.“* In alia epistola data ad eundem (V. 20. 1.) a. d. XIV. Kal. Ian. legimus: *„Laodiceam pridie Kal. Sextiles venimus. Ibi morati* biduum *perillustres fuimus honorificisque verbis omnes iniurias revellimus superiores; quod idem dein Apameae* quinque dies *morati et Synnadis* triduum, *Philomelii* quinque dies,

VII Id. Sextilis abiit Synnada; inde post trium dierum intervallum profectus est Philomelium a. d. III Id Sext., quo die scripsit ad Atticum silentium esse de Partho (V. 16. 4.); Philomelii triduum moratus a. d. XVII Kal. Sept. erat in itinere ad Iconium, unde post decem dierum moram venit in castra a. d. VII Kal. Sept.; hic lustravit exercitum (ad Att. V. 20; ad Fam. XV. 4) a. d. III Kal., quandoquidem prid. Kal. castra movere constituerat. Hoc vero consilium non persecutus est; complures adhuc dies mansit ad Iconium, exspectans, donec Appius Claudius decedens de provincia sibi obviam venisset; sed nequicquam exspectavit, nam Appius, qui hoc colloquium quam maxime evitare vellet, clanculum castra praetergressus est. Ita accidit, ut vel a. d. III Non. Sept. nondum iter instituisset. Eo enim die 1) venerunt in castra ad Iconium legati missi ab Antiocho Commageno, qui Ciceronem certiorem fecerunt, »*regis Parthorum filium ad Euphratem cum maximis Parthorum copiis multarumque praeterea gentium magna manu venisse Euphratemque iam transire coepisse, dicique Armenium regem in Cappadociam impetum esse facturum.* 2)

Quo audito quamquam — ut ipse testatur 3) — vehe-

Iconii decem, *fecimus* ..... *Inde in castra veni a. d. VII Kalendas Septembres.*" Contra Catoni (ad Fam. XV. 4. 2.) hanc reddit itineris rationem: „*cum in provinciam pr. K. Sext. venissem et propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundum viderem*, biduum *Laodiceae fui, deinde Apameae* quadriduum, triduum *Synnadis*, totidem dies *Philomelii* ..... *Ego in castra a. d. VII Kal. Sept. veni.*" Minus necesse mihi videtur cum Drumanno (VI. pag. 129) discrepantiae culpam Ciceronis memoriae imputare. Omnia optime in concordiam rediguntur, si cum viro doctissimo Hofmann (Ausgewählte Briefe von Cicero, pag. 122.) statueris, ubicunque maius temporis intervallum exhibeatur, ibi additos esse dies in itinere consumptos. Tum quidem evadit dierum et itinerum ratio, quam supra dedimus.

1) Vide appendicem, pag. 108.

2) ad Fam. XV. 3. 1.

3) ad Fam. XV. 4. 4.

menter fuit commotus cum de Syria, tum de sua provincia, de reliqua denique Asia, tamen ad senatum nihil scripsit. ad Fam. XV. 3: »*publice propter duas causas nihil scripsi, quod et ipsum Commagenum legati dicebant ad senatum statim nuntios litterasque misisse, et existimabam M. Bibulum procos., qui circiter Idus Sextil. ab Epheso in Syriam profectus erat, quod secundos ventos habuisset, iam in provinciam suam pervenisse, cuius litteris omnia certiora perlatum iri ad senatum putabam.*" Tertia causa, cur nihil publice referret, in eo erat posita, quod erant, qui Antiochum Commagenum suspectum haberent, 1) fortasse propter affinitatem, quae ei intercessit cum rege Parthorum. 2) Etiamsi vero nuntii auctor nonnihil suspicionis moveret, de ipsius nuntii veritate non erat dubitandum; cotidie fere novae litterae et novi nuntii de bello a Parthis illato afferebantur. Iure igitur exspectaveris Ciceronem, qui suo adventu tantum terrorem Parthis iniectum esse glorietur, castra confestim magna celeritate propius ad Ciliciae fines admovisse; idque ipse haud obscure significat in rerum gestarum enarratione, quam postea misit ad amicos Atticum et Catonem. ad Att. V. 20 *ex his castris* (ad Iconium) *cum graves de Parthis nuntii venirent, perrexi in Ciliciam.*" ad Fam. XV. 4. 4: »*itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociae regionem eam, quae Ciliciam attingeret, putavi.*" Attamen vehementer addubito, an omnino statim cum exercitu profectus sit; constat saltem, a. d. XIII Kal. Oct., id est *sedecim diebus* post primum nuntium acceptum, eum non longius processisse quam ad fines Lycaoniae et Cappadociae, 3)

---

1) ad Fam. XV. 1. 2.

2) Orodes filiam Antiochi in matrimonio habebat. Cf. Dio XLIX. 23. Postea, cum Labienus et Pacorus in Syriam et Asiam irruperunt, arma cum iis consociasse videtur. Cf. Dio XLVIII. 41.

3) Cf. ad Fam. XV. 1. 2.

quod spatium itineris triduo, vel, ut plurimum, quadriduo emetiri potuisset. 1) Profecto non erat ingenii simplicis et candidi, hoc in epistolis ad amicos dissimulare, sed nolumus nimium vitio ei vertere, quod non statim iter in hostem pergere coepit, vel tanta usus tarditate progressus est; multa fortasse erant paranda, multa constituenda, praesertim hac infirmitate exercitus.

a. d. XIII Kal. Oct. certiora quaedam de Parthis ad Ciceronem perferuntur, nunc quidem missa a fide dignissimis auctoribus. ad Fam. XV. 1. 2. »*a. d. XIII Kal. Oct. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniae et Cappadociae mihi litterae redditae sunt a Tarcondimoto,* 2) *qui fidelissimus socius trans Taurum amicissimusque populi Romani existimatur, Pacorum Orodi regis Parthorum filium cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem et castra posuisse Tybae, magnumque tumultum esse in provincia Syria excitatum; eodem die ab Iamblicho,* 3) *phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene sentire amicumque esse reipublicae nostrae, litterae de iisdem rebus mihi redditae sunt.*" Hic nuntius certe non valebat ad Ciceronis animum cura ac sollicitudine liberandum: hostis erat in Cyrrhestica — ibi enim Tybam sitam esse recte colligitur ex epistola ad Att. V. 18. 1. —

---

1) Totum spatium a finibus Phrygiae per Laodiceam usque ad fines Cappadociae habebat stadios 840. Cf. Strabo 663.

2) Tarcondimotus regnabat in monte Amano. Cf. Strabo 676: „*καθ' ἡμᾶς δὲ κατέστη κύριος πάντων ἀνὴρ ἀξιόλογος καὶ βασιλεὺς ὑπὸ Ῥωμαίων ὠνομάσθη διὰ τὰς ἀνδραγαθίας Ταρκονδίμοτος, καὶ τὴν διαδοχὴν τοῖς μετ' αὐτὸν παρέδωκε*. Bello Actiaco cum aliis Asiae regulis sub Antonio militavit, ac navali pugna ab Agrippa victus interiit, paulo antequam apud Actium universa classe proelium commissum est. Cf. Dio L. 14. Plut. Ant. 61.

3) Iamblichus filius erat Sampsicerami, qui dominabatur Emesae et Arethusae, oppidis sitis prope montem Antilibanum. Strabo 753: *Ἀρέθουσα ἡ Σαμψικεράμου καὶ Ἰαμβλίχου τοῦ ἐκείνου παιδός, φυλάρχων τοῦ Ἐμεσηνῶν ἔθνους*. Hic ille est Iamblichus, qui postea Caecilio Basso contra Caesaris exercitus suppetias tulit. Bello Actiaco pessimis tormentis interfectus est ab Antonio, qui suspicabatur defectionem eum ad Caesarem parasse. Cf. Dio L. 13.

in ea parte Syriae, qua nulla erat Ciceronis provinciae propior; magnum igitur erat periculum, ne Parthi in Ciliciam essent irrupturi. Simul audivit Bibulum nondum esse in Syria, et Cassium omnem exercitum in oppido Antiochiae inclusum tenere. 1)

Nunc iam videamus, quid Cicero in tanta rerum trepidatione peregerit ad hostem a finibus propulsandum. Ipse nobis reddet rationes hisce verbis epistolae, quam novo nuntio allato scripsit ad senatum (ad Fam. XV. 1. 3.): »*His rebus allatis, etsi intelligebam socios infirme animatos esse et novarum rerum exspectatione suspensos, sperabam tamen eos, ad quos iam accesseram quique nostram mansuetudinem integritatemque perspexerant, amiciores populo Romano esse factos, Ciliciam autem firmiorem fore, si aequitatis nostrae particeps facta esset. Et ob eam causam et ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis essent, et ut hostis is, qui esset in Syria, sciret exercitum populi Romani non modo non recedere iis nuntiis allatis, sed etiam propius accedere, exercitum ad Taurum institui ducere.*" Itaque iter perrexit et ad Cybistra progressus est, haud procul ab angustiis, quae per Taurum montem in Ciliciam ducunt. Hoc loco substitit et castra posuit. Quare Taurum superare et recta in hostem proficisci neglexerit, ipse docebit in epistola ad Catonem. ad Fam. XV. 4. 4.: »*si me in Ciliciam demisissem, Ciliciam quidem ipsam propter montis Amani naturam facile tenuissem ...... sed me Cappadocia movebat, quae patet a Syria regesque habet finitimos, qui etiamsi sunt clam amici nobis, tamen aperte Parthis inimici esse non audent.* 2) *Itaque in Cappadocia extrema non longe a*

1) Vide ad Att. V. 18. 1., quae epistola duobus diebus post data est ex castris ad Cybistra.

2) Haec verba spectant ad regem Armenium, socium atque affinem regis Parthorum.

Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut et Ciliciam tuerer et Cappadociam tenens nova finitimorum consilia impedirem." ad. Fam. XV. 2. 1.: »*Erat enim magna suspitio, Parthos, si ex Syria egredi atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quod ea maxime pateret, esse facturos."* Praeterea exspectabat regis Deiotari adventum, qui miserat nuntium, se cum omnibus suis copiis in castra esse venturum.

Satis apparet tali consilio inito Ciceronem *ne minimum quidem terroris hosti incussisse*, — vix enim unius diei iter castra promoverat — verum, ut res et tempora sese dabant, fuit fortasse laudandus, quod maiorem prudentiam quam impetum in agendo adhibuit, et si non audacis et intrepidi, attamen cauti et prudentis imperatoris partes egisse iure dici potest. Sed risum movet, quod in epistola ad Atticum (V. 20) iactat, eo consilio se cis Taurum mansisse, *ut Armenius Artavasdes et ipsi Parthi Cappadocia se excludi putarent.* Hoc si fuisset eius consilium, non facile locum minus aptum ad castra locanda deligere potuisset, quam Cybistra, oppidum situm in extremo Cappadociae angulo, et quam maxime remotum ab Armeniae et Syriae finibus. Omnino haec epistola plena est ineptae arrogantiae et intolerabilis suarum laudum praedicationis; 1) quin etiam — quod ut demonstrem, mox mihi locus dabitur — ad mendacia non dubitat descendere, dummodo in melius et maius res suas gestas effingere possit.

Ad Cybistra consedit tres dies 2), ibique composuit

---

1) Nonnulla eiusdemmodi exempla ex eadem epistola petita protulit Vir Clarissimus Cobet. (Mnemosyne, Nova Series, vol. VII. pag. 10.)

2) Cf. ad Fam. XV. 2. In epistolis datis quatuor mensibus post (ad Fam. XV. 4. ad Att. V. 20.) *quinque dies* se in his castris fuisse affirmat. Hic vero eodem modo quo supra vidimus (vide pag. dissertationis 84) diem adventus et diem profectionis adnumeratos esse apparet.

res Cappadociae regis Ariobarzanis, cuius salutem et incolumitatem a senatu commendatam habebat 1).

Antea vero quam reliquam narrationem persequor, rectum et aequum de Ciceronis bellica laude ferendum iudicium flagitare mihi videtur, ut, quantum eius fieri potest, accurate indagemus, quinam fuerint tres illi dies, quos in his castris se commoratum esse affirmat. Iam statim duos dies certissime indicare valemus. In litteris ad Atticum (VI, 1.1.) legimus: »*recentissimas a Cybistris te meas litteras habere ais*, a. d. X Kalendas Octobris *datas.*" Haec a Cybistris epistola, quae tulit aetatem, eadem est atque ad Att. V. 19. Alterum diem suppeditat epistola ad Att. V. 18, haec quoque data ex castris ad Cybistra (cf. § 1: »*nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra*"), quam scriptam esse *a. d. XI Kal. Octobris* abunde constat; etenim eam respicit Cicero, ubi dicit in litteris ad Atticum V. 19: »*obsignaram iam epistolam eam, quam puto te modo perlegisse, scriptam mea manu, in qua omnia continentur, cum subito Appii tabellarius* a. d. XI Kal. Octobres...... *mihi tuas litteras reddidit.*" Quis autem erat tertius ille dies? Non quidem mihi sumam hunc diem certe et accurate definire, sed ex eo, quod Cicero in epistola, quam scripsit a. d. X. Kal. Oct., ne verbo quidem commemorat se castra esse moturum, haud improbabiliter conicere mihi videor, postridie eum adhuc ad Cybistra consedisse. Quod si verum est, eventus hunc in modum sese exceperunt:

a. d. XIII. Kal. Oct. afferuntur litterae Tarcondimoti et Iamblichi, quum Cicero esset in finibus Lycaoniae et Cappadociae.

a. d. XII Kal. Oct. Cicero progreditur Cybistra,

---

1) Cf. ad Fam. XV. 2. 4.

ibique castra collocat. Hoc die, vel die praecedente — id diiudicare nolim —, sed utique ante suum in Cybistra adventum rerum statum cum senatu communicat per eas litteras, quae nunc in libro quinto decimo locum obtinent primum. 1)

a. d. XI, X, IX Kal. Oct. ad Cybistra commoratur. Usque ad hunc diem admodum lente et tarde eum iter fecisse in praecedentibus sat aperte ostendimus. a. d. III Non. Sept. primus nuntius de Parthorum adventu ad Iconium affertur: post unius et viginti dierum intervallum considet adhuc ad Cybistra, in loco paucorum dierum iter ab Iconio remoto. Sed inde ab hoc die rationes plane commutantur, ita, ut quem modo cautum et circumspectum nominavimus, nunc fere dixeris fortissimum et audacissimum. Audi ipsum in epistola ad Atticum V. 20. 2: »*cum dies quinque ad Cybistra castra habuissem, certior sum factus* Parthos ab illo aditu Cappadociae longe abesse, Ciliciae magis imminere: *itaque* confestim *iter in Ciliciam feci per Tauri pylas.*" Macte virtute, Cicero! vix audis hostem se in provinciam tuam convertisse, et iam contra ire contendis, idque *confestim, quam potes maximis itineribus* 2) Nunc penitus intelligo, tam celeri tuo adventu hostes perterritos fuisse, et animum accessisse Cassio!.... Attamen nullus est gratulandi locus, nam omnia bonus imperator finxit, omnia, ne dicam dolo, mentitus est. Veram, quae eum ad castra movenda

1) Quod ante adventum scriptae sunt, sequitur ex his verbis: „*exercitum ad Taurum institui ducere.*" De Cybistris autem nulla fit mentio. Ad easdem litteras Cicero spectat in epistola ad Atticum V. 18: „*his de rebus scripsi ad senatum.*" Quae verba quod — ut supra monuimus — scripta sunt a. d. XI. Kal. Oct., simul perspicue apparet in errore versari virum clarissimum Boot, qui in annotatione ad hunc locum intelligi velit *epistolam secundam* libri quinti decimi. At vero ea scripta est quatuor diebus post, quum iam castra Cicero a Cybistris movisset. Cf. ad Fam. XV. 2. 8.

2) ad. Fam. XV. 4. 7.

impulit, causam docebit epistola ad Catonem, in qua rerum gestarum narratio omnino minus a veritate deflectit: scilicet non eum fugit ex Syria Catonem verisimiliter meliora et certiora de Parthis edoctum esse a genero suo Bibulo. ad Fam. XV. 4. 7.: »*interea cognovi multorum litteris atque nuntiis magnas Parthorum copias et Arabum* ad oppidum Antiocheam accessisse *magnumque eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorum turmis et a cohorte praetoria, quae erat Epiphaneae praesidii causa, occidione occisum. Qua re cum viderem a Cappadocia Parthorum copias aversas non longe a finibus esse Ciliciae,* quam potui maximis itineribus *ad Amanum exercitum duxi.*" Nunc perspicimus, quid sit in his veri. Parthi, in Cyrrhestica vagati, recesserant, missum fecerant consilium in Cappadociam vel Ciliciam invadendi, iter flexerant Antiochiam versus, ut hac urbe expugnata Cassium cum exercitu in potestate haberent. Id praeterea ex Dione XL, 28, 29, abunde constat. Quod Cicero *magnum* Parthorum equitatum in Ciliciam transisse dicit, id credat qui velit! Siquidem equitum turmae et una cohors sufficerent ad occidione eos occidendos, propius a vero mihi esse videtur, conicere eos fuisse parvam exploratorum manum a Parthis praemissam.

Forsan quispiam mihi respondet: »esto Ciceronem hac in re de magnis maiora locutum esse; nonne sempiternae tamen gloriae ei vertendum est, quod Cassio laboranti succurrere ausus est, et confestim exercitum ad Amanum abduxit *quam potuit maximis itineribus?*" Non miror haec mihi opponi; quid autem, si *quam minimis itineribus* eum processisse apparet? Id enim luce clarius demonstrari potest.

Ex Cappadocia in Ciliciam ducit una perangusta via,

nobiles illae πύλαι Κιλίκιαι, per quas Cyrus Minor et Alexander Magnus in Ciliciam ingressi sunt. 1) Bona fortuna ex Strabonis adnotationibus spatium huius itineris ab oppido Tyanis usque ad Tarsum effici potest. Strabo 539: „ἀφέστηκε δὲ τὰ Μάζακα τοῦ μὲν Πόντου περὶ ὀκτακοσίους σταδίους πρὸς νότον, τοῦ δ' Εὐφράτου μικρὸν ἐλάττους ἢ διπλασίους, τῶν Κιλικίων δὲ πυλῶν ὁδὸν ἡμερῶν ἓξ καὶ τοῦ Κύρου στρατοπέδου διὰ Τυάνων· κατὰ μέσην δὲ τὴν ὁδὸν κεῖται τὰ Τύανα, διέχει δὲ Κυβίστρων τριακοσίους σταδίους." Hinc patet a Tyanis ad Cyri castra fuisse iter trium dierum. Reliquum usque ad Tarsum spatium colligitur ex Strab. 673: „τὸ μὲν οὖν ἀληθὲς ὁ ἰσθμὸς τῆς περιωδευμένης χερρονήσου οὗτός ἐστιν ὁ ἀπὸ Ταρσοῦ καὶ τῆς ἐκβολῆς τοῦ Κύδνου μέχρι Ἀμισοῦ· τὸ γὰρ ἐλάχιστον ἐξ Ἀμισοῦ διάστημα ἐπὶ τοὺς Κιλίκων ὅρους τοῦτ' ἔστιν· ἐντεῦθεν δὲ ἑκατὸν εἴκοσίν εἰσιν εἰς Ταρσὸν στάδιοι, κἀκεῖθεν οὐ πλείους ἐπὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Κύδνου." Totum igitur a Tyanis ad Tarsum iter haud amplius *quatuor diebus* conficiebatur, quod apte convenit cum eo, quod legimus apud Xenophontem, secundum quem Cyrus intra *quatuor dies* hoc iter emensus est, 2) idque cum longe maiore exercitu, quam qui Ciceronis signa sequebatur. Ciceroni quidem iter trecentis stadiis longius conficiendum erat, 3) sed consumsit temporis spatium triplo maius. a. d. VIII Kal. Octobris a Cybistris profectus Tarsum pervenit a. d. III Nonas Oct., 4) id est *die duodecimo*. Itaque ad nihilum re-

1) Xen. Anab. I. 2. 21; Diodor. XIV, 20; Arrian. Exped. Al. II. 7, 1.

2) Xen. Anab. I. 2. 22. „καταβὰς δὲ διὰ τούτου τοῦ πεδίου ἤλασε σταθμοὺς τέτταρας, παρασάγγας πέντε καὶ εἴκοσιν εἰς Τάρσους." Hi quatuor dies, ut par est et a Strabone firmatur, non spectant ad iter per Ciliciae planitiem, sed ad viam a Danis ad Tarsum usque. Dana urbs apud Xenophontem eadem est, quae vulgo Tyana vocatur.

3) Primum enim iter erat faciendum a Cybistris ad Tyana, quod est trecentorum stadium. Cf. Strab. l. l.

4) ad Att. V. 20. 3.

cidit eximia ista celeritas, quam ipse de se praedicat.

Tarso Amanum versus ire perrexit 1) *Nonis Octobribus*, et postridie eius diei castra habebat in agro Mopsuhestiae, oppiduli sub Amanum montem, ubi de Cassii victoria et Osacis caede certior factus est. ad Fam II, 10. 2: »*cum venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis est, ... Cassius noster, quod mihi magnae voluptati fuit, feliciter ab Antiochia hostem reiecerat; Bibulus provinciam acceperat.*" ad Fam. XV, 4. 7: »*ad Amanum exercitum duxi, quo ut veni, hostem ab Antiochia recessisse, Bibulum Antiochiae esse cognovi.*"

His omnibus recte et ordine expositis, nemini, opinor, erit dubium, quin Parthorum clades paucis diebus ante Nonas Octobris acciderit. Quod si verum est, simul ex compositione cum Dionis testimonio instituta apparet, primis mensis Octobris diebus Parthos ab Antiochiae moenibus esse reiectos, nam ante cladem multum laboris et multum temporis consumebant in Antigonia oppugnanda, 2) ex quo sequitur, ut, quo tempore hostes ab Antiochia recesserunt, Cicero etiamtunc in Tauro monte versaretur. Abeat igitur quicunque quidquam tribuit gloriosis istis verbis, quae in epistola ad Atticum leguntur.

Attamen de die, quo Cassius peperit victoriam, latius mihi disserendum arbitror, quandoquidem esse video, qui veritatem Ciceronis narrationis in dubium vocent. Exstat scilicet in epistola ad Atticum (V. 21. 2.) testimonium, quod aperto fronte repugnat rerum expositioni, quam dedi supra. Id. Febr. anni 50 scribit Cicero Laodiceae ad amicum in Epiro commorantem: »*quo autem die Cassii litterae victrices in senatu recitatae sunt*, id est

1) Cf. ad Fam. III. 8. 10.

2) Vide Dionem XL, 29, et dissertationis pag. 81.

Nonis Octobribus, *eodem meae tumultum nuntiantes.*" Profecto, hoc si verum est, cetera omnia impudentissime eum mentitum esse liquido constat. Utinam dicere possem huiuscemodi fraudem plane abhorrere ab Ciceronis persona, neque in eius mores et indolem cadere posse! At vero quae supra didicimus, ea nos admonent, ut cauti simus; qui semel in mendacio deprehensus est, eum credi saepius idem commisisse, quis vitio vertet? Augetur suspicio eo, quod in ridicula ista ad Atticum epistola (V. 20, 3) non pudor eum deterruit, quin rerum ordinem et temporum rationes disturbaret. Inspice modo has litteras, et videbis eum, postquam se ad Amanum contendisse scripserit, narrationem ingredi rerum, quas circa Idus Octobris gesserit in Amano; deinde subito eum transire ad ea, quae antecedere deberent, et gloriari sui adventus rumore Cassio animum accessisse et Parthis timorem iniectum esse. 1) Quam ob causam imperator noster res tradat ordine inverso, haud obscurum est. Offendit eum Cassii rerum gestarum magnitudo, 2) et ut partem gloriae sibi vindicet, illius laudibus obtrectat. Hinc fraus ducit originem; hinc fingit, se summam celeritatem in itinere adhibuisse; hinc iactat, fama sui adventus animum Cassio accessisse, quod ut maiore veri specie induat, temporum rationes turbare non recusat; hinc scribit ad Atticum V. 21. 2: *Recesserant Parthi quidem ab Antiochia ante Bibuli adventum, sed nullo nostro* εὐημερήματι;" hinc indignatur Cassium per se bellum Parthicum confectum ad senatum scripsisse. Quid, quod eo die, quo primum Cassii victoriam compertam habuit, adeo non reprimere potuit iram et invidiam, ut scriberet ad Appium Claudium (ad Fam. III. 8, 10.):

1) Contra in epistola ad Catonem (ad Fam. XV. 4.) res suo ordine dispositas refert.

2) Cf. Vir. Clar. Cobet (Mnem. l. l.)

»*De Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto; Arabes qui fuerunt admixto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertisse, hostem esse in Syria negant ullum.*"? 1)

Sed revertamur eo, unde digressi sumus. Id tantum volui ostendere, non mirum esse, quod testimoniorum discrepantia, quam modo protulerim, gravissimas moverit suspiciones. Sic Drumann 2) perhibet mentiri Ciceronem, quum scribat se Mopsuhestiae Cassii victoriam cognovisse, neque mense Octobri, sed mense Septembri Cassium Parthis cladem intulisse asseverat. Cui assentitur Caspar Harting. 3) Libenti mihi contingit, ut ab hoc saltem crimine celeberrimum oratorem defendere posse mihi videar. Ut statim proferam in medium, quod est demonstrandum: librarii negligentia Ciceroni mendacium affricuit. Mendum enim insanabile subest in verbis: »*id est Nonis Octobribus.*" Quod ut ostendam, exordium describam epistolae ad Atticum V. 19.: »*Obsignaram iam epistolam meam, ... cum subito Appii tabellarius a. d.* XI. *Kal. Octobris* septimo quadragesimo die *Roma celeriter — hui tam longe! — mihi tuas litteras reddidit.*" Ciceronis litterae tumultum nuntian-

1) Prorsus alio sermone utitur in epistola, quam scripsit eo consilio, ut Cassius daret operam, ne quid ad provinciam temporis prorogaretur. ad Fam. XV. 14. 3. „*unus scilicet animi fructus, qui in te videndo est, percipi litteris non potest; alter gratulationis, est is quidem exilior, quam si tibi te ipsum intuens gratularer, sed tamen et feci antea et facio nunc tibique cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de provincia decedentem summa laus et summa gratia provinciae prosecuta est.*" Praeterea conferas velim Philipp- XI. 14.: „*Magnas C. Cassius res gessit ante Bibuli summi viri adventum, cum Parthorum nobilissimos duces maximasque copias fudit Syriamque immani Parthorum impetu liberavit.*"

2) Drumann. Die Geschichte Roms in seinem Uebergange etc. vol. II. 120; VI. 130.

3) „De proconsulatu Ciceronis Ciliciensi." pag. 58: „*Mense Septembri igitur, vel potius initio mensis, Cassium vicisse censemus.*" Rectius fecisset, si ad id demonstrandum non provocasset ad epistolam, datam ad Appium Claudium, qua non Parthi, sed Arabes impetum fecisse dicuntur. Etenim, haec verba invidia tantum et livore Ciceroni dictata esse quis est, quin sentiat?

tes datae sunt, ut supra (Vide pag. 90, 91) indicavimus, a. d. XII. Kal. Oct. Quodsi autem tabellarius, qui celeriter 1) Roma ad Cybistra epistolam pertulisse dicitur, quadraginta septem dies in itinere comsumpsit, quis tandem erit, qui credat Ciceronis epistolam et Cassii litteras victrices, etiamsi, ut Drumann perhibet, mense Septembri victoria esset reportata, *Nonis Octobribus* recitatas esse in senatu? 2) Iam hoc unum sufficit, opinor, ut in lucem prodeat vitium, quod modo notavi, et ut refutetur Drumanni opinio. Sed in cumulum dabo aliud argumentum, haud minus grave et solidum. a. d. XIV Kal. Decembres 3) Caelius Romae scripsit ad Ciceronem: »*Sane quam litteris C. Cassii et Deiotari sumus commoti; nam C. Cassius cis Euphraten copias Parthorum esse scripsit, Deiotarus profectas per Commagenen in provinciam nostram.*" De Cassii victoria ne verbum quidem per totas litteras, nec mirum, nam eo die nondum aut Ciceronis epistola tumultum nuntians, aut Cassii litterae victrices Romam erant perlatae, quod luculenter apparet ex Caelii verbis § 2: »*a te litterae non venerunt.*" 4)

1) Alterum exemplum proferre mihi liceat, unde patet has litteras solito celerius Ciceroni in manum venisse. In epistola ad Caelium (ad Fam. II. 12) data non ante mensem Iunium anni 50 (cf. § 1: „*cum tu haec leges, ego iam annuum munus confecero.*") legimus: „*Sollicitus equidem eram de rebus urbanis; ita tumultuosae contiones, ita molestae Quinquatrus afferebantur — nam citeriora nondum audiebamus.*" Quinquatrus celebrabantur per dies quinque continuos ab a. d. XIV Kal. Aprilis.

2) Posteaquam haec scripto mandaveram, amicus me monuit dissertationis viri doctissimi van Aalst, quem eundem locum tractasse et eodem argumento vitium detexisse video. Male factum autem, quod loco corrupto medicam manum admovere conatus est, et pro Non. Oct. legere proposuit Non. *Novembres*; nempe ex epistola ad Caelium (VIII. 10), quam infra testem producam, lucide apparet a. d. XIV Kal. Decembres neque Ciceronis neque Cassii litteras Romam pervenisse. Me iudice locus in eorum numerum referendus est, cui nulla medicina parata est.

3) Cf. § 3: „*nunc exitus est anni, nam ego has litteras a. d. XIV. Kal. Decembres scripsi.*

4) Quod Ciceronis epistola tam tarde Romam pervenit, id imputandum arbitror anni tempori ad navigandum minus idoneo.

Ex omnibus, quae hucusque exposui, iure ac merito colligere mihi videor Ciceronis res gestas, si ad historiae fidem exigantur, perparum vel nihil contulisse ad felicem belli exitum. Uni debetur omnis laus et omnis honor, C. Cassio, duci egregio, qui ceteris desidentibus solus se praebuit firmissimum praesidium nominis Romani.

Post Parthorum discessum Cicero ingreditur bellum illud dicam an populationem in monte Amano, de quo, quandoquidem ad meum propositum non facit, multis disserere supersedeo. Id tantum commemoro eum in diversis epistolis 1) omnem vim orationis intendisse, ut vividis et splendidis coloribus facta sua depingeret, quorum summa eo continetur, ut multis castellis captis et incensis a. d. III Id. Octobr, imperator salutatus sit 2), dein exercitum abduxerit in Eleutherocilices, quorum oppidum Pindenissum diu omnibus machinis oppugnatum, tandem die septimo et quinquagesimo cepit circiter a. d. XIX Kal. Ian. 3)

Pindenisso capto exercitum in hiberna dimisit et Quintum fratrem negotio praeposuit, ut in vicis aut captis aut male pacatis copiae collocarentur. Ipse Nonis Ianuariis Tarso in Asiam profectus est, ut ibi totum se conferret ad conventus agendos. 4) Aliquanto post — haud scio an mense Februario 5) — totius anni rebus gestis ad senatum perscriptis petiit, ut supplicatio sibi decerneretur,

---

1) Cf. ad Fam. II, 10; XV. 4; ad Att. V. 20.

2) Quantopere plane nullius pretii id temporis esset imperatoris titulus, docent verba, quibus Caesar acerba ironia Scipionem perstrinxit: De bello civili III. 31: „*His temporibus Scipio detrimentis quibusdam circa montem Amanum acceptis imperatorem se appellaverat.*"

3) Tamen multum abfuit, ut populi Amanienses ad obsequium essent redacti. Anno proximo de integro latrocinia in Cilicia florebant (Cf. ad Att. VI, 4. 1.). Anno 48 Metellus Scipio in iisdem locis rem male gessit.

4) Vide ad Att. V. 21. 7.

5) Iam statim post expeditionem confectam ad senatum scribere in animo habebat. Cf. ad Att. V. 20. 6; ad Fam. II. 7. 3. Sed res prolatata esse videtur. Cf. ad Fam. III. 9. 4; VI. 1. 9.

quem honorem — incredibile dictu — revera impetravit, idque tam honorifice, ut de toto senatu tres tantum viri decreto obsisterent, inter eos M. Cato, qui quamvis gratulationis esset dissuasor, tamen Ciceronis administrationem divinis ornavit laudibus; quin etiam — quod sane permirum et insolitum erat — scribendo adfuit senatus-consulto facto contra suam voluntatem. 1)

Romae interea in eadem persistitur segnitie et desidia. Omnium animi suspensi erant exspectatione gravissimi inter Caesarem et Pompeium certaminis, quod iam eo processerat, ut in dies magis magisque res ad arma deduci videretur. Primus de Parthorum transitu nuntius a Cassio missus parum eos movisse videtur, si quidem hic putabatur bellum finxisse eo consilio, ut, quae diripuisset ipse, viderentur ab hoste vastata. Litterae Deiotari 2), quae subsecutae sunt, hanc suspicionem sustulerunt, et nonnihil terroris Romanis incusserunt; cum vero ageretur de eo, quaenam consilia essent capienda ad tutandas provincias, nulla inveniebatur concordia, nullus consensus; pro sua quisque factione alium alius ad bellum mitti voluit. Cf. ad Fam. VIII. 10. 2.: »*Sed de Parthorum transitu nuntii varios sermones excitarunt: alius enim Pompeium mittendum, alius ab urbe Pompeium non removendum, alius Caesarem cum suo exercitu; alius consules ut paludati exeant; nemo tamen ut ex senatusconsulto privatus. Consules autem quia verentur ne illud senatus consultum fiat et contumeliose praeter os ad alium res transferatur, omnino*

---

1) Cf. ad Fam. VIII, 11. XV, 4. 5. 6. ad Att. VII. 1. 7.

2) Ludwig Lange in egregio opere: Römische Alterthümer, vol. III. pag. 388, minus recte ita res exponit, tamquam Parthorum transitus, quem Deiotari litterae Romam renunciarunt, referri debeat ad *novum* illud bellum ac tumultum post primam incursionem Syriae illatum. Ne dicam id satis redargui iis, quae supra (vid. pag. 97) disputaverimus, constat, ut suo loco ostendam, secundum illum impetum factum esse non ante proximi anni initium.

senatum haberi nolunt, usque eo, ut parum diligentes in republica videantur." 1) Ciceroni erat in votis, ut Pompeius potissimus cum imperio in Parthos proficisceretur, quamquam non sine causa verebatur, ne propter rerum urbanarum statum senatus eum dimittere nollet. 2) In provincia de Pompei adventu rumor percrebuit. Cf. ad Att. VI. 1 § 3.: »*Pompeius autem cum ob ceteras causas plus potest unus quam ceteri omnes, tum quod putatur ad bellum Parthicum esse venturus.*" Et ipse hanc rem sedulo agitasse videtur, quemadmodum patet ex eo, quod per litteras Ciceroni suum fore Parthicum negotium significavit; 3) sed dicere vix opus est nequaquam Pompeium ab urbe abire potuisse, nisi prius ad eius voluntatem soluta esset controversia de Galliarum provinciarum successione, de qua novi consules Kal. Martiis 4) referre debebant ad senatum. Neque id fugit Ciceronem, qui anxia mente huius diei exitum exspectabat. Cf. ad Att. V. 20. 7.: »*sed est totum in eo, quod Kalendis Martiis futurum est; vereor enim ne, cum de provincia agetur, si Caesar resistet, nos retineamur.*" Quo propius scilicet dies decessionis appropinquabat, eo magis angore et sollicitudine afficiebatur, ne imperium sibi prorogaretur, praesertim ubi resciit denuo bellum a Parthis imminere. 5) Itaque nulla se dabat occasio, quin vehementer amicos rogaret et obsecraret, ut omnibus viribus niterentur, ne quid temporis ad suam provinciam adderetur.

Quod ad novum Parthicum bellum attinet, iam mense Novembri anni 51 cum adhuc castra ad Pindenissum

---

1) Exhibui textum, sicut a Viro Clarissimo Pluygersio restitutus est. (Vide Mnem. vol. IX. pag. 118.)

2) Cf. ad Att. V. 18. 1.

3) Cf. ad Att. VI. 1. 14.

4) Cf. ad Fam. VIII. 8. 5.

5) Cf. ad Att. V. 21. 3.

haberet praesagiebat, quid esset futurum. Scripsit ad Caelium (ad Fam. II. 10. 4.): »*ut redeam ad Parthos, haec aestas habuit hunc exitum satis felicem: ea, quae sequitur, magno est in timore.*" Quod augurium rerum eventus comprobavit, nam anno 50 ineunte de novo Pacorus cum manû Parthorum cis Euphratem conspicitur. Idibus Febr. Cicero Laodiceae scribit ad amicum (ad Att. V. 21. 2): »*hodie hiemant in Cyrrhestica maximumque bellum impendet; nam et Orodi, regis Parthorum filius in provincia nostra est, nec dubitat Deiotarus, cuius filio pacta est Artavasdis filia, ex quo sciri potuit, quin cum omnibus copiis ipse prima aestate Euphraten transiturus sit.*" ad Att. VI. 1. 14: »*hiemant in nostra provincia Parthi; exspectatur ipse Orodes. Quid quaeris? aliquantum est negotii.*" Cicero igitur versabatur in magna animi perturbatione; horrebat ne tumultu in Syria praecideretur spes ad tempus decedendi, neve ante annuum negotium confectum bellum in suam provinciam esset irrupturum. Hinc non sine maligna quadam voluptate iactat, nunc quidem apparere ineptas fuisse Cassii litteras victrices neque se dubitare, quin esset futurum, ut Bibuli litteris recitatis senatus commoveretur. 1) An revera senatus Bibuli nuntio allato commotus fuerit, 2) id pro certo diiudi-

1) Cf. ad Att. IV. 1. 14.

2) Haud improbabiliter affirmari potest, Bibuli nuntium de novo belli timore circiter mensem Februarium anni 50 Romam pervenisse. Apparet enim ex duabus, quas mense Februario Cicero ex urbe Laodicea dedit litteris (ad Att. V. 21. 2; VI. 1. 14.) nuntium tunc iampridem ex Syria missum fuisse. Quam observationem parvi esse momenti libens agnosco, sed ideo eam non retinui, quia falso mensem Maium positum esse video a viro doctissimo Lange (Römische Alterthümer, pag. 396.), iniuria testem producens epistolam ad Atticum VII. 2. 6. Confudit scilicet duas Bibuli litteras, alteram (vid. ad Att. VI. 1. 14.) plenam Parthici timoris, scriptam, ut ex ipsa rei natura sequitur, hieme anni 51, quum bellum Parthicum impenderet, alteram (vid. ad Att. VII. 2. 6.) datam aestate anni 50 post Parthorum discessum, quam Cicero impudentissimam idcirco nominat, quod eam honorifica supplicatio consecuta est.

care nolim. Non quidem negandum est placuisse ordini amplissimo, ut Caesar et Pompeius singulas quisque legiones ad bellum Parthicum mitterent in Syriam, verum hoc decreto magis id agebatur, ut Caesaris potentia caperet detrimentum, quam ut Bibulus haberet, unde exercitus suppleretur. Nota res est Pompeium senatusconsultum in usum suum convertisse, et rem eo deduxisse, ut sibi nil quicquam, Caesari duae legiones detraherentur. 1) Quandoquidem propter continuas Curionis intercessiones nihil dum de provinciis consularibus erat constitutum neque igitur quisquam aderat, qui Bibuli successor cum his legionibus in Parthos mitteretur, Mario quaestori cura mandata est, ut eas in Syriam transportaret. Ceterum res non eo pervenit. Paulo post nuntius Romam allatus est Parthos recessisse et otium esse in Syria, quo audito Marcellus consul in Italia eas retineri et Pompeio tradi iussit, ut contra suum imperatorem reservarentur.

Sed ad Ciceronem ut redeam, mense Martio quotidie ex litteris nuntiisque cognovit Syriam bello ardere. 2) Itaque sociis auxilia imperavit et cum Deiotaro pactus est, ut cum omnibus suis copiis — habebat autem cohortes quadringenarias triginta, equitum duo milia — ad castra veniret. 3) Ipse circiter Kal. Maias proficisci in Ciliciam cogitabat 4); quamvis autem gravissimum

---

1) Cf. Dio XL. 65; Appian. B. C. II. 29; Plut. Caes. 29; Pomp. 52; Caesar, de Bello Gallico VIII. 54; de Bello Civili I. 4. Senatusconsultum circiter mensem Maium, vel potius aliquanto ante, factum esse videtur. Etenim a. d. XVI Kal. Sept. Cicero, Tarsi commorans, iam aliquamdiu legionum adventum cognitum habebat. Eo die scribit ad Thermum Asiae propraetorem (ad Fam. II. 17. 5.): *„quod quaeris, quid existimem de legionibus, quae decretae sunt in Syriam, antea dubitabam venturaene essent; nunc mihi non est dubium quin, si antea auditum erit otium esse in Syria, venturae non sint.*

2) ad Fam. XIII. 57.

3) ad Att. VI. 1. 14.

4) ad Fam. XIII. 57.

bellum impendere probe sciret, nescio qua de causa profectionem distulit; constat enim eum Non. Iuniis demum Tarsum pervenisse. 1) Bibulus interea Antiochiae a Parthis obsidione inclusus tenebatur 2) ibique in tantas angustias adductus est, ut legati eius et quaestor et amici per litteras Ciceronem obsecrarent, ut subsidio veniret, 3) quibus precibus ille non omni quidem ex parte satisfecit, noluit saltem ex finibus provinciae egredi, sed tamen intelligens suum esse exercitum quam proxime hostem habere, castra posuit ad Pyramum fluvium 4), haud procul a monte Amano, ibique incredibile quanto animi timore rerum eventus opperitus est. 5)

Nunc quoque diis propitiis fruebatur, nam paucis diebus antequam annuum tempus emeritum habebat, praeter spem et opinionem Parthorum discessu summo terrore et sollicitudine liberatus est. a. d. XVI Kal. Sext. scripsit ad Cn. Sallustium proquaestorem (ad Fam II. 17): »*quin ad diem decedam,* *nulla causa est*, *praesertim sublato metu Parthico*," et post pauca: »*Parthi transierint necne praeter te video dubitare neminem.*" ad Att. VI. 6. 3. (scripta Sidae ineunte mense Sextili, quum Cicero inibi

---

1) ad Att. VI. 4. 1.

2) Non me intelligere confiteor quomodo Fischer (Römische Zeittafeln, pag. 264) scribere potuerit: „*M. Calpurnius Bibulus und Cicero befürchten im Anfange dieses Jahres einen erneuten Angriff der im vorigen Jahr von Cassius besiegten Parther*, der jedoch nicht stattfand." Si forte Ciceronis verba indigna putaret, quibus fides tribueretur, attamen mirum est eum fugisse testimonium Caesaris in commentariis de Bello Civili, quo omnis de Parthico bello dubitatio tollitur. Cf. Caes. de B. C. III. 31: „*Quibus coactis finitimis hostibus Parthis post se relictis, qui paulo ante M. Crassum imperatorem interfecerant et* M. Bibulum in obsidione habuerant, *legiones equitesque ex Syria deduxit.*

3) ad Att. VI. 5 3.

4) ad Fam. III. 11; II. 19.

5) Omnes fere, quas eo tempore scripsit epistolas plenae sunt belli Parthici timoris. ad Att. VII. 2. 6; 3. 2; 4. 1; 5. 3.

esset, ut decederet de provincia.) »*dum impendere Parthi videbantur, statueram fratrem relinquere aut etiam reipublicae causa contra senatusconsultum remanere, qui posteaquam incredibili felicitate discesserunt, sublata dubitatio est.*"

De ipsis in Syria rebus gestis perparum vel nihil ad nostram notitiam pervenit, neque magis est cognitum nobis, quid Parthos ad recedendum impulerit. Caesar, B. C. III, 31 obiter tantum commemorat Bibulum ab iis obsessum fuisse; apud Dionem belli gesti nulla memoria exstat; contra auctor est quiete eum provinciales rexisse et turbas civiles in Parthis concitasse; Ornodapantem scilicet satrapam quendam fuisse apud Parthos, qui cum rege Orode simultates exerceret; huic Bibulum persuasisse, ut Pacoro in patris locum substituto bellum domesticum in patria conflaret, et ita factum esse, ut bellum Parthicum quarto, quo exorsum esset, anno finem habuerit. 1) Si quaeritur, an probabilis sit nonnullorum opinio Orodem hoc novarum rerum timore copias suas ex Asia revocasse, 2) pro testimoniorum inopia nullum dare responsum, opinor, satius est, quam audaces tentare coniecturas. Neque certius dici potest, an Pacorus satrapae incitamentis aurem praebuerit, necne. Ut semper fere, sic hoc quoque loco aegerrime dolemus Livii librorum interitum, quem de industria Bibuli res gestas tractasse constat. 3) Ciceroni si fides habeatur, Bibulum hoc bello summa ignavia excelluisse statuendum est. Cf. ad Att. VI. 8. 5: »*ego, nisi Bibulus, qui, dum unus hostis in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quam domo sua consul, adniteretur de triumpho, aequo animo essem;*

---

1) Cf. Dio XL. 30.

2) Iustinus XLII. 4 tradit Pacorum, patri suspectum, revocatum esse, sed minus recte hoc refert ad superioris anni expeditionem.

3) Liv. Epit. libri CVIII.

nunc vero αἰσχρὸν σιωπᾶν." ad Att VII. 2.6: »*nunc illum, qui pedem porta, quoad hostis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri, me, in cuius exercitu spem illius exercitus habuit, idem non adsequi dedecus est nostrum*," et sub finem epistolae: »*valde eram perturbatus, sed, ut nihil magno opere metuam, Parthi faciunt, qui repente Bibulum semivivum reliquerunt.*" Quae verba non sine ira et studio a Cicerone profecta esse satis constat; nam quod Bibulus se cum infirmo suo exercitu moenibus Antiochiae continuit, eo nomine consilii prudentiam potius laudandam, quam inertiam vituperandam arbitror. Pressit nimirum vestigia Cassii, et quatuor annis post ipse Cicero, ut cognovit Cornificio Syriam provinciam esse tributam, amicum incitavit, ut idem consilium sequeretur. ad Fam. XII. 19. 2.: »*De Parthici belli suspicione quod scribis, sane me commovit. Quid copiarum, haberes, cum ipse coniectura consequi poteram tum ex tuis litteris cognovi; itaque, opto, ne se illa gens moveat hoc tempore, dum ad te legiones eae perducantur quas audio duci. Quod si pares copias ad confligendum non habebis,* non te fugiet uti consilio M. Bibuli, *qui se oppido munitissimo et copiosissimo tam diu tenuit, quam diu in provincia Parthi fuerunt.*" Quod ad ignaviam attinet, iocularе est eam criminationem audire ex ore hominis, quem longius ab hoste remotum horror non minus perfuderit. Ceterum causa horum criminum haud obscura est. Id temporis erat inter eos frigus et occulta simultas. Bibulus, ut in provinciam venit, cavebat Ciceronis familiaritatem; verebatur, ne si illum negotiis suis immisceret, eidem se exponeret invidiae et obtrectationi, qua Cicero Cassium erat persecutus; nullum fere exercebat cum eo commercium litterarum, adeo ut, cum magnus Antiochiae metus esset belli, vel litteram miserit numquam, et dicere soleret, quidvis se perpeti malle, quam videri eguisse Ciceroni

auxilio. Hoc imperator noster moleste se ferre simulabat. 1) Accedebant aliae querimoniae, quod Bibulus in litteris ad senatum, quidquid boni cum Cicerone esset commune, sibi soli attribuisset, quidquid mali suum esset proprium, id cum illo communicasset. Ne multa: sic Cicero animo erat affectus, ut haud alienum mihi videatur eum odio et ira adductum iusto iniquius de Bibulo tulisse iudicium. Quod ut credam, facilius adhuc moveor decreto senatus, qui de Bibuli rebus gestis certior factus amplissimam ei attribuit supplicationem viginti dierum; 2) quamvis enim Ciceronis exemplum perspicue doceat, tunc temporis gratulationem caruisse pristino pretio et dignitate, saepeque eam viris indignis contigisse, id certe unusquisque mihi concedet, quod res ipsa clamat, necesse esse, ut aliquid saltem a Bibulo bene gestum sit, neque fieri posse, ut talem prodens ignaviam et desidiam, qualem Cicero ei imputet, honorem huiuscemodi consecutus sit. 3)

Quidquid autem Parthis, cur ab Antiochia recederent,

1) Cf. ad Fam. II. 12. Intimo pectore aliud eum sensisse apparet ex epistola ad Att. VI. 5. 3: „*sed, quo ego maxime delectabar, Bibulus molestus mihi non erat, de omnibus rebus scribebat ad me potius, et mihi decessionis dies λεληθότως obrepebat*

2) Ciceroni ut ad aures pervenit, Bibulo ampliorem quam sibi honorem contigisse, eumque vel de triumpho adniti, excandescit ira. Cf. ad. Att. VII. 2. 7: „*Cato in me turpiter fuit malevolus: dedit integritatis, iustitiae, clementiae, fidei mihi testimonium, quod non quaerebam; quod postulabam, negavit..... At hic idem Bibulo dierum viginti; ignosce mihi: non possum haec ferre nec feram.*" Id indignatus Cicero se quoque ad triumphum petendum motum esse declarat, ne Bibulo inferior videretur. Nec dubium est, quin honore esset potitus, nisi turbulenta reipublicae tempora intercessissent. Cf. ad Att. VI. 6. 4; 8. 5; 9. 2; VII 1, 5. 7. 9; 2, 5.

3) Lange (Römische Altherthümer, III. 396) idcirco supplicationem concessam esse putat, quod Cassii victoria Bibuli auspiciis esset reportata. Cui opinioni adversatur locus in Ciceronis epistola ad Att. VII. 2. 6.: „a quo si ea gesta essent, quae scripsit, *gauderem et honori faverem.*" Unde iure colligere mihi videor, eum supplicationem et triumphum postulasse propter res, quas ipse bello gesserit. Ceteroquin non negandum censeo, ideo fortasse senatum favore proniorem fuisse in Bibulum, ut Caesar inimici honore offenderetur.

causae fuit, sive id ad Bibuli merita, seu ad turbas civiles referendum iudicas, id quidem constat, inde a Bibuli proconsulatu Romanos in decem annos otium a Parthis habuisse, ut iure Dio bellum anno 50 confectum esse dixerit. Semel iterumve se Syriae rebus et factionum contentionibus immiscebant, sicuti Caecilio Basso adversus Caesaris legatos, et Cassio adversus Dolabellam auxilia suppeditarunt, sed ad summam per totum hoc temporis spatium nulla commemoratur magna eorum expeditio, quae perniciem Romanorum provinciis minaretur, donec anno 40 Labienus Parthorum armis usus est ad patriam suam debellendam, eosque aliquantisper totius Syriae Asiaeque dominos reddidit.

APPENDIX.

ad pag. 85.

Parum constanter in epistolis commemoratur tempus, quo Cicero de Parthorum adventu certior factus est. Ipso die, quo nuntium accepit, scripsit ad Catonem (ad Fam. XV. 3) venisse ad sese legatos *in castra ad Iconium a. d. III. Non.* Sept. Contra in epistola ad Appium Claudium, scripta secundum viros doctos pr. Kal. Sept., legimus (ad Fam. III: 6): »*castra movi ab Iconio pridie Kalendas Septembres.*" Sed non hic subsistit rei difficultas; augetur etiam eo, quod in litteris datis mense Ianuario anni proximi scripsit ad Catonem (ad Fam. XV. 4. 3.): »interim cum exercitu lustrato iter in Ciliciam facere coepissem, *Kal. Sept.* legati a rege Commageno ad me missi pertumultuose, neque tamen non vere, Parthos in Syriam transisse nuntiaverunt."

Hanc quaestionem viri docti, aliter alius, sed omnes frustra solvere conati sunt. Olim Manutius legere proposuit in ep. ad Fam. XV. 3.: »venisse legatos ...... a. d. *III Kal. Sept.*"; itidemque in ep. Fam. XV. 4.: »*III K. Sept.* legati ..... nuntiaverunt." Hanc mutationem Baiter et Kayser in textum receperunt, sed vereor ne temere, nam sic quoque remanet difficultas, quod tertius locus aperte obloquitur. Caspar Hartung (de proconsulatu Ciceronis Ciliciensi, pag. 54), repugnante verborum et ordine et sententia, vocabula *Kal. Sept.* (ep. ad Fam. XV. 4) coniungit cum participio *missi.* Neque

magis proficimus interpretatione viri doctissimi Hofmann (Ausgewählte Briefe von Cicero pag. 140), qui exercitum quidem Kal. Sept. castra movisse, Ciceronem ipsum usque ad a. d. III Non. Sept. ad Iconium remansisse opinatur. Mihi, in hancrem inquirenti, haece in mentem venerunt, quae haud scio an lucis aliquid quaestioni afferre possint.

Iam primum nemo non mihi concedet minoris momenti esse, quod secunda epistola ad Catonem (ad Fam. XV. 4.) cum prima repugnet; est enim data post quatuor mensium intervallum; itaque fieri potuit, ut Cicero tanto intermisso tempore in memoriae errorem delapsus exercitum duobus diebus ante abiisse scripserit, quam re vera profectus est. Id autem permirum et incredibile accidit, ut Cicero a. d. III Non. Sept. nuntium de Parthorum adventu *in castra ad Iconium* perlatum esse tradat, cum tribus diebus ante scripserit se iam castra inde movisse. Num igitur altero utro loco fraudem admisisse censendus est? Minime vero. Quid enim causae excogitari potest, quod ad tam apertum mendacium eum incitaverit? Ne longus sim, nemo nisi librarius confusionis auctor esse videtur; id mox luculente apparebit, postquam epistolam ad Appium Claudium paulo diligentius inspexerimus. Scripta est eo consilio, ut Appius, quocum decedente colloqui cupiit, non esset nescius, quo loco se convenire posset. Hic vero moleste ferebat Ciceronem sibi successisse. Recens erat memoria vehementium contentionum, quas Cicero cum eius fratre Clodio, ne post caedem quidem intermissas, habuerat; offendebatur Ciceronis institutis in provincia gubernanda, et suarum rationum dissimilitudine 1); erant ex amicis, qui ei insusurrarent, idcirco Ciceronem bene audire velle, ut Appius male audiret. Quid multa? Oderat Ciceronem, et omnem dedit operam, ut eius congressui se subduceret. Iam in itinere Brundisii Cicero quaesiverat ex Phania, Appii liberto, in quam provinciae partem proficiscens maxime Appio gratum esset facturus: qui quum respondisset, ad Sidam esse navigandum, eo enim Appium esse venturum, Cicero certe morem gessisset, nisi Corcyrae a L. Clodio certior esset factus, Laodiceae Appium successoris adventum exspectare. 2)

1) Cf. ad Att. IV. 1. 2. „*Quid enim potest esse tam dissimile quam illo imperante exhaustam esse sumptibus et iacturis provinciam, nobis eam obtinentibus nummum nullum esse erogatum nec privatim nec publice?*"

2 Cf. ad Fam. III. 5. 6.

Itaque iter ad Laodiceam direxit. Sed antequam eo pervenit, nuntium accepit, iterum Appium cursum itineris commutasse. ad Fam. III. 6. 4.: »*ac mihi tamen antequam in provinciam veni, redditae sunt a te litterae, quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei conveniendi afferebas.*" Haec spes in vanum abiit. Ad Ciceronis adventum Appius transiit Taurum, et forum egit Tarsi iisdem diebus quibus Cicero conventum habuit in oppidis Phrygiae. 1) Cicero interea cotidie eum exspectabat; sed ne litteras quidem ullas accepit, quae docerent, ubi eum esset visurus. Tandem indignabundus scripsit eam epistolam, de qua hic agitur, plenam querelarum, et exposuit Appio sui itineris rationem et consilium. ad Fam. III. 6. 6. »*Ut habere rationem possis, quo loco me* salva lege Cornelia *convenias, ego in provinciam veni pridie Kalendas; iter in Ciliciam facio per Cappadociam;* castra movi ab Iconio pridie Kalendas Septembres. *Nunc tu et ex diebus et ex ratione itineris, si putabis me esse conveniendum, constitues, quo loco id commodissime fieri possit et quo die.* Lex Cornelia de provinciis ordinandis sanxit, ut tricesimo die, postquam in provinciam venisset successor, provinciae praeses decederet. 2) At vero iam mensis intercesserat, ex quo Cicero in provinciam pervenit. Quo pacto ergo fieri potuit, ut Appius successorem conveniret *salva lege Cornelia,* i. e. intra diem tricesimum, siquidem revera haec epistola pridie Kal. Sept. data est? Iam mihi concedes, opinor, necesse esse, ut epistola nostra aliquanto ante scripta sit, et mendum latere in verbis: »*castra movi ab Iconio pridie Kal. Septembres.*" Haec si cui ad suspicionem movendam non sufficiant, is mihi inspiciat epistolam sequentem (ad Fam. III. 7) et omnis tolletur dubitatio. Appius Ciceroni in crimen dederat non eum sibi decedenti obviam prodisse, quod crimen hunc in modum ille refutat: »*a Pausania, Lentuli liberto, accenso meo, audivi, cum diceret, te secum esse questum, quod tibi obviam non prodissem. Scilicet contempsi te, nec potest fieri me quicquam superbius! Cum puer tuus ad me secunda*

---

1) Cf. ad Fam. III. 8. 6; ad Att. V. 16. 4; 17. 6.

2) Cf. ad Fam. III. 6. 3. „*non modo ibi non fuisti, ubi me quam primum videre posses, sed eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem* triginta diebus, *qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent.*'

fere vigilia venisset, isque te ante lucem Iconium mihi venturum nuntiasset, incertumque, utra via, cum essent duae, altera Varronem, tuum familiarissimum, altera Q. Leptam, praefectum fabrum meum, tibi obviam misi. Mandavi utrique eorum, ut ante ad me excurrerent, ut tibi obviam prodire possem: currens Lepta venit mihique nuntiavit te iam castra praetergressum esse. *Confestim Iconium veni. Cetera iam tibi nota sunt.*" Quodsi vero, ut perspicue inde apparet, Appius praetervectus est Ciceronem, *adhuc castra ad Iconium habentem*, omnisque igitur spes colloquii praecisa erat iam antequam Cicero iter ab Iconio ingredi coepit, quis tandem erit, qui in animum sibi inducat, ut *castra movens vel post mota castra* Cicero epistolam nostram ad Appium mittere potuerit? Accedit alia res, quae non minus sententiam meam confirmat. Quo die castra ab Iconio movit, sciebat Parthos Euphratem transiisse 1). Attamen, ne verbo quidem hic nuntius in epistola ad Appium commemoratur.

Omnia, ni fallor, sana et salva erunt, si levi mutatione legeris: »*castra* movebo ab *Iconio prid. Kal. Sept.*", et si mecum statueris litteras nonnullis diebus ante esse datas, circiter a. d. VII Kalendas, quo die in castra pervenit. Quod si fecimus, hic rerum ordo evadit. Inique ferens nondum se Appium vidisse, Cicero, ut castra attigit, per litteras ei notam facit totam itineris rationem, ut sciret, ubi et quando *salva lege Cornelia* i. e. ante prid. Kal. Sept. sese adire posset; docet eum, se prid. Kal. Sept. castra esse moturum. Itaque a. d. III Kal. lustrat exercitum (ad Att. V. 20. 2). Sed die constituto non proficiscitur, quod Appius nusquam apparet; diem ex die exspectat, donec cognovit Appium noctu castra praetergressum spem colloquii elusisse. Ad hanc lucem intelligi potest, qui factum sit, ut legati Antiochi Commageni a. d. III Non. Sept. Ciceronem ad Iconium invenirent, quamvis tribus diebus ante inde discedere propositum habuisset. 2) Quod attinet ad alteram

1) ad Att. V. 20. 2.: „*ex his castris, cum graves de Parthis nuntii venirent, perrexi in Ciliciam.*" ad Fam. XV. 3. 1.: „*Cum ad me legati missi ab Antiocho Commageno venissent in castra ad Iconium a. d. III Kal. Sept. iique mihi nuntiassent*, sqq.

2) Quod Cicero aliquot dies protulit profectionem, id ne nimis miremur. Idem fecerat in oppidis Phrygiae. Scripsit Trallibus ad Appium (ad Fam. III. 5. 4.): „*ego tibi meum consilium exponam: pr. Kal. Sext. puto me Laodiceae*

epistolam, quam Cicero post multum tempus ad Catonem misit (ad Fam. XV. 4.), iam supra dixi minus me moveri discrepantia, quae memoriae errore optime excusāri possit. Itidem errore scriptum puto, quod ibi dicit, se iam iter in Ciliciam facere coepisse, cum legati advenerint; maiore enim fide dignum est, quod scripsit in priore epistola ipso nuntii accepti die. Quod praeterea confirmatur alio testimonio in epistola ad Att. V. 20. 2: „*ex his castris, cum graves de Parthis nuntii venirent perrexi in Ciliciam.*"

---

fore ..... deinde iter faciam ad exercitum, ut circiter Idus Sextiles putem me ad Iconium fore." Revera erat ad Iconium non ante a. d. VII Kal. Sept.

THESES.

THESES.

I.

Soph. Oedip. Col. 940:

ἐγὼ οὔτ' ἄνανδρον τήνδε τὴν πόλιν νέμων,
ὦ τέκνον Αἰγέως, οὔτ' ἄβουλον, ὡς σὺ φῄς,
τοὔργον τόδ' ἐξέπραξα.

Legendum censeo: οὔτε δούλην, ὡς σὺ φῄς.

II.

Plato. Phaedr. 241 A: τότε δὴ δέον ἐκτίνειν, μεταβαλὼν ἄλλον ἄρχοντα ἐν αὑτῷ καὶ προστάτην, νοῦν καὶ σωφροσύνην ἀντ' ἔρωτος καὶ μανίας, ἄλλος γεγονὼς λέληθε τὰ παιδικά.

Pro μεταβαλών lege μεταλαβών.

III.

Plut. Crass. 21 : *οἷς οὐχ ἥκιστα καὶ τὸν Κράσσον ἔσφηλε διὰ θάρσος καὶ φρόνημα πρῶτον, εἶτα ὑπὸ δέους καὶ συμφορῶν ταῖς ἀπάταις εὐχειρότατον γενόμενον.*

Legendum est : *εὐχειρωτότατον γενόμενον.*

IV.

Plut. Ant. 47 : *εἶτα τὴν λοιπὴν ἄφιππον καὶ τραχεῖαν ὥστε παντάπασιν ἀποστρέψασθαι τοὺς πολεμίους.*

Scribendum : *ἀποστρέψεσθαι.*

V.

Plut. Dio, 4 : *ἐσπούδασε καὶ διεπράξατο ποιησάμενος σχολὴν αὐτὸν ἐντυχεῖν Πλάτωνι καὶ ἀκοῦσαι.*

Pro *ποιησάμενος* legendum est : *ποιησάμενον.*

VI.

Appian. B. C. III. 80 : *Τούς τε οὖν ἀλωμένους ἐκ τῆς ἐκείνου στρατιᾶς ἡγεμόνας ἢ στρατιώτας ἐφιλανθρωπεύετο, καὶ τοῖς ἰδίοις ἐγκατέλεγεν, ἢ τοὺς ἐθελόντας αὐτῶν ἐς τὸν Ἀντώνιον ἔπεμπεν, ὡς οὐ δι' ἔχθρας ἀνηκέστου πρὸς αὐτὸν ἰόντα.*

Lege : *πρὸς αὐτὸν ἰών.*

VII.

Appian. B. C. V. 3 : *Διενείμαντο δὲ αὖθις, ὅσα καὶ πρότερον, ἔθνη, καὶ ἐπελάμβανον τὰ Λεπίδου. τήν τε γὰρ Κελτικὴν τὴν ἐντὸς Ἄλπεων ἐδόκει Καίσαρος ἀξιοῦντος αὐτόνομον ἀφιέναι, γνώμῃ τοῦ προτέρου Καίσαρος· ὅ τε Λέπιδος διεβάλλετο τὰ παρὰ Πομπηΐῳ προδιδόναι.*

Immo : *διεβάλλετο τὰ πράγματα Πομπηΐῳ προδιδόναι.*

VIII.

Appian. B. C. V. 19 : *τούς τε γεωργούς, ὅσοι τῆς γῆς ἀφῃροῦντο, ἱκέτας γιγνομένους τῶν δυνατῶν ἑκάστου, μόνος ὑπεδέχετο καὶ βοηθήσειν ὑπισχνεῖτο, κἀκείνων ὑπισχνουμένων ἀμύνειν ἐς ὃ κελεύοι.*

Lege : *ἀμυνεῖν.*

IX.

Appian. B. C. V. 60: Ὁ δὲ „ἐκ Βρεντεσίου με” φησὶν „ἀποκλείων, καὶ τὰ ἐμὰ ἔθνη καὶ τὸν Καληνοῦ στρατὸν ἀφαιρούμενος. ἔτι τοῖς φίλοις ἐστὶν εὔνους μόνοις, οὐδὲ τοὺς φίλους ἐμοὶ περισώζειν ἔοικεν, ἀλλὰ ταῖς εὐεργεσίαις ἐχθροποιεῖν.”

Legendum videtur: ὃ δὲ „ὁ ἐκ Βρεντεσίου με” φησὶν „ἀποκλείων .... εἴ τι τοῖς φίλοις ἐστὶν εὔνους μόνοις, κ. τ. λ.

X.

Appian. B. C. V. 70: Μηνόδωρος δὲ ἀπὸ Σαρδοῦς ἐπέστελλεν, ἢ πολεμεῖν ἐγκρατῶς, ἢ βραδύνειν ἔτι, ὡς τοῦ λιμοῦ σφῶν προπολεμοῦντος καὶ τῶν συμβάσεων εἰ καὶ δοκοίη κρεισσόνων ἐσομένων.

Pro εἰ καὶ δοκοίη lege: εἰ καραδοκοίη.

XI.

Dio XL. 27: οὕτω γὰρ δὴ περὶ τὰ χρήματα καίτοι πολυχρήματος ὢν ἐσπουδάκει ὥστε καὶ ὡς πένητας οἰκτείρειν τοὺς μὴ δυναμένους στρατόπεδον ἐκ καταλόγου οἴκοθεν θρέψειν.

Scribe: οἴκοθεν τρέφειν.

XII.

Dio XL. 30: ὁ Βίβουλος ἄρξων τῆς Συρίας ἀφίκετο, καίπερ ἐψηφισμένου μηδένα μήτε στρατηγὸν μήθ' ὕπατον μήτε εὐθὺς μήτε πρὸ πέμπτου ἔτους ἐς τὰς ἔξω ἡγεμονίας ἐξιέναι.

Lege: καὶ γὰρ ἐψηφισμένον ἦν μηδένα κ. τ. λ.

XIII.

Dio XLI. 28: τῆς μὲν ἀνδραγαθίας πολλὰ καὶ μεγάλα γέρα καρπούμενοι, τῶν δ' ἁμαρτημάτων σμικρὸν οὐδὲ ἐπιτιμώμενοι, οὐκ ἀξιοῦτε τούτοις ἀρκεῖσθαι.

Lege: οὐδὲ σμικρόν.

XIV.

Hor. Carm. II. 10, 9:

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus.

Recte Burmann scribit: *saevius*.

XV.

Iniuria ab interpretibus in Horatii carmine III. 8. 17 verba:

»Mitte civiles super urbe curas"

referuntur ad Maecenatis praefecturam urbis. —

XVI.

Liv. XLV. 18: Commune consilium gentis esset improbum vulgi adsentator aliquando libertatem salubri moderatione datam ad licentiam pestilentem traheret. In quatuor regiones describi Macedoniam, ut suum quaeque concilium haberet, placuit, sqq.

Scribendum videtur: *Ne*, commune consilium gentis *si* esset, improbus vulgi adsentator aliquando.... *traheret*, *in* quatuor regiones sqq.

XVII.

Cic. Epist. ad Fam. II. 7: non vereor ne quid *timide*, ne quid stulte facias.

Pro *timide* malim *temere*.

XVIII.

Cic. Epist ad Fam. III. 6. 6: castra *movi ab* Iconio pridie Kal. Sept.

Lege: *movebo ab*.

XIX.

Nepos, Eumenes 4: Qui cum inter se complexi in terram ex equis decidissent, *ut facile intelligi possent inimica mente contendisse animoqe magis etiam pugnasse quam corpore, non prius distracti sunt, quam alterum anima relinqueret.*

Haec mihi sic transponenda videntur: *non prius distracti sunt, quam alterum anima relinqueret, ut facile intelligi possent inimica mente contendisse animoque magis etiam pugnasse quam corpore.*

XX.

Macrob. I. 16. 34: Rutilius scribit Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso *rure* ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent.

Lege: *opere*.

XXI.

Plutarchus in Antonii vita belli Parthici narrationem petivit ex Q. Dellio.

XXII.

Immerito Lachmann erroris arguit Iustini testimonium, quod Tiridates anno 25 ad Augustum in Hispaniam confugit.

XXIII.

Ciceronis in bello Parthico merita ne flocci quidem facienda sunt.

XXIV.

Fide indignum iudico testimonium Dionis (XLIX. 21) qui tradit Ventidii victoriam eodem die accidisse, quo quindecim annis ante Crassi calamitas.

XXV.

Ten onrechte stelt Clinton III. 220. de verovering van Jeruzalem in het einde van het jaar 38, in plaats van in den zomer van het jaar 37.

XXVI.

Het is wenschelijk, dat bij de toelatings-examens der gymnasia en hoogere burgerscholen over de betrokken adspiranten het oordeel hunner hoofdonderwijzers worde ingewonnen, en dat aan hun advies overwegende invloed worde toegekend.

CORRIGENDA.

Pag.	16, l. 34 : statui	*lege* :	statuit.
„	34, l. 32 : persecuurus	„ :	persecuturus.
„	44, l. 10 : a ipsa	*expunge* :	a.
„	46, l. 20 : ut hoc bellum	„ :	ut.
„	49, l. 30 : exilium	*lege* :	exsilium.
„	65, l. 33 : pag. 15	„ :	pag. 56.
„	68, l. 4 : Parthorum, ne	„ :	Parthorum ne.
„	74, l. 8 : nunc.	„ :	tunc.
„	105, l. 34 : Ciceroni	„ :	Ciceronis.
„	107, l. 12 : debellendum	„ :	debellandum.
„	111, l. 34 : veniren	„ :	venirent.

